







MONVMENTA VATICANA

ANTIQVARVM ARTIVM

VERSIBVS ILLVSTRATA

CVM NOTIS

INSCRIPTIONES

ALIAQVE PROSA ET POETICA

FRANCISCI MASSII





Editio Secunda locupletior
Nobiliorem Musei Vaticani partem complectens

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA R. C. APOSTOLICAE
1869


201
58 G
22



MONUMENTA VATICANA

ANTIQUARUM ARTIUM

VERSIBUS ILLUSTRATA

CUM NOTIS

—



MONUMENTA VATICANA

ANTIQUARUM ARTIUM

VERSIBUS ILLUSTRATA

CUM NOTIS

INSCRIPTIONES

ALIAQUE PROSA ET POETICA

FRANCISCI MASSII

ELOQUENTIAE ET HISTORIAE
IN ROMANO ATHENAEO DOCTORIS DECURIALIS
BIBLIOTHECAE VATICANAE SCRIPTORIS

Secunda Editio locupletior
Nobiliorem Musei Vaticani partem complectens

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA R. C. APOSTOLICAE
1868

ERUDITAE IUVENTUTI



Vaticanus Artium thesaurus ea floret ubique gentium celebritate ut romana maiestas, quae in dirutis Caesarum monumentis umbrae similis apparet, in Musea Pontificum Maxx. velut in arcem nobilissimam se receperit, ubi civibus advenisque humani ingenii miracula profert oblivionis atque ignorantiae tenebris vindicata. Statuis, picturis, anaglyptis, ceterisque operibus divinus quidam spiritus inest, cuius impetu mirifice Poesis excitatur. Neque ullum, iuvenes optimi, reperietis altioris animi virum qui Periclis aut Augusti marmoreas imagines contemplatus gloriam Quiritium, vel Athenarum pulcritudinem mente non repetat, qui Laocoonte inspecto non declamet versus Aeneidos. Haec olim fuere Italiae decora, haec posteris exempla, haec ingeniorum voluptas. Scio de vetustatis pretio sermonem habere adverso hoc tempore inconsultum videri apud antiquae sapientiae obtrectatores, qui rerum civilium ordinem, leges atque instituta maiorum novis commentis pervertere grande et luculentum iudicant. Scio praeclara studia more illo incor-

rupto feliciter adhibita regnis tutandis, patrio decori provehendo, bono privato ac publicae laudi, fere omnia ab excelso loco ad vulgi fortunaeque ludibrium recidisse. Vehementer doleo mutatas vices, et consuetudinem parentum stulte neglectam. Non tamen huiusmodi inertia atque incuria latini nominis a forti me proposito deterruit quin circa penates meos (dico audacter quippe in Vaticana domo natus imbutusque literis sum) omne scribendi studium conferrem, huc illuc iaciens nova semina Poeseos, vere florido iuventutis, quae me longe praeteriit, excolenda in fructus uberiores.

Ad vos itaque me converto profugae latinitatis amicos, honesto Lycei pulvere laureisque insignes. Vos demittere animum, sequi ignavos, obrepere ad honores ad magistratus cum muliebri veste et fuco quo degeneres cinaedi ornantur pro ignominia habetis. Ac certe in re tanta desciscere idem facinus esset quod strenuo militi post praelium acriter inceptum ad hostium signa transfugere. Accipite diuturnos labores, vigiliasque dulces in Museo degustatas, ubi a vulgari strepitu remotus otiis Virgilianis operam dabam inter fontes silvasque Iulii secundi, Leonis decimi, Raphaelis memoria celebres. Ne prolixius disseram, liber meus, futilibus argumentis abiectis, patriae monumenta ac virorum illustrium facta depingit, quo splendidius tam cara pignora romanae ac graecae dignitatis, quae in sinu gerimus, hodiernam superbiam, ingratos animos, iniustam pulcri rectique oblivionem arguant. Princeps men-

tio de sanctissimo Petri templo, secunda de Sacello Sixtino. Bibliothecam summatim attingo; ad Museum Clementis et trium Piorum (1) propero, magis philosophiae, historiae, virtutibus ac vitiis, ubi materia postulet etiam cum ioco satyrae, stilum intendens quam fabularum dulcedini fluxisque Venerum pigmentis. Equidem non sine trepidatione sublimes heroum imagines exprimere aggressus, quodam me labyrintho implicitum sentiebam. Calcar adiecit domesticus usus; altaque Castilionis vestigia in Cleopatrae cantu (2) viam floribus mollitam aperuerunt. Plura tibi immortalis Raphael in Regia Leoniana tribuere mens erat si minus fessum atque imparem excepissent divinae imagines tuae, quibus nulla respondet describendi facultas. Brevitatem meam Virgilius excuset.

« Sed fugit interea fugit irreparabile tempus
Singula dum capti circumvectamur amore. »

Post hanc quasi apricationem per graecas atque italicas artes Inscriptionibus etiam in ipso Musei vestibulo Pii Septimi iussu collocatis mens advertenda. Quantam enim supellectilem in hoc tam vario tamque iucundo genere eloquentiae clarus ille vir Caietanus Marinius ab omnigena vetustate complexus ordine pulcherrimo digessit! Quanta in iis lapidibus flamma elucet! quam

(1) Clementis XIV. et Piorum VI. VII. IX. Pontt. Maxx.
(2) Lege carmen Balthasaris Castilionis prope statuam Cleopatrae.

dulce studium, quam opportunum vitae specimen! Itaque nonnullas Inscriptiones meo filo deductas in medium protuli, non venales in laude virtutis, ut fons ille veterum titulorum uberrimus aliquem nostrae imitationis rivum ostendat. Finem libro faciunt Oratio de latina lingua, alia severa, pauci lusus.

Quidquid hoc operis mei sit, provectae aetatis fructum colligo non horridum fortasse neque barbaricum, vestraeque humanitati commendo. Nihil puto suavius quam per amoenos Vaticani montis recessus, quo voluptas eruditionis impellit, egregios iuvenes cum sene itineris duce pervagari. Vos ego me circum intuens aspernor inglorios cives, genere solum fortunisque potentiores, qui largas opes conviviis, equis, choreis impendunt, doctrinae ac libris negant. Vivite ad melius aevum, et pollete sapientia.

BONARROTIUS

DE TEMPLO VATICANO (1)

—

ELEGIA

Advena, terrarum matrem qui suspicis urbem
Lauriger aeterno quam secat amne Tiber,
Miraris tanto libratam pondere molem
Pingere caeruleum sole oriente caput?
Saxaque Pontificum cineres amplexa vetustos,
Et decora et sanctae tot monumenta domus?
Fecerat haec olim templi primordia Caesar
Qui fera Maxentî reppulit arma Cruce.
Ille ubi pugnantis prostravit colla tyranni,
Delevitque aras et simulacra Iovis,
Fundamenta loco statuit quo Petre sederes
Romani princeps maximus imperii:
Membra triumphali tua condidit ille sepulcro,
Victricem glebis supposuitque manum.
Aurea tunc aedes crevit superaddita Circo *
Sanguine Christiadum qui modo sparsus erat,

(1) Nemo opportunior ad mirificam templi imaginem digne exprimendam quam ipse illius artifex Bonarrotius

Fortia cum nigris arderent corpora bustis,
  Aut obiecta feris pabula saeva darent.
Relligio custos sacris penetralibus adstans
  Audebat turmas pellere barbaricas:
Nec quisquam Italiam ferro populatus et igni
  Horridus illuvie miles hyperborea
Insiluit stricto metuenda in limina telo,
  Aut retulit praedas, corripuitve facem.
Hinc magni sceptrum reges gladiumque solebant
  Poscere, quo staret vindice tuta Fides;
Hanc simul et cives peregrinum et vulgus ad aram
  Per noctem cantus ingeminare pios.
Munera divitiaeque inerant, tabulisque colores
  Eximii: prisca vixit in arte decor.
Longa sed incubuit tectis labentibus aetas;
  Ceu quercum innumeras vincere suetam hiemes
Praeliaque adversi boreae durasque bipennes
  Absumit tacito lenta senecta die.
Iulius ille meus triplici diademate frontem (1)
  Cinxerat, atque animo grande movebat opus.
Nam, victis bello populis quos vana subegit
  Libertas domini solvere fraena sui,
Disiecit veteresque trabes et putre lacunar,
  Aequavitque imo culmina vasta solo.
Pulcrius antiquo surgat de pulvere templum
  Invida cui labem saecula nulla ferant:

(1) Iulius secundus Pont. Max. Basilicam Constantinianam a fundamentis instanrari iussit. Commissum opus Bramanti architecto. Bonarrotius Inlii mausoleum statuis ac tropaeis insigne vixdum inchoaverat cum Pontifex decessit, et subinde Bramantes. Huic celeberrimi eius aevi architecti perperam sncсessere. Seqnnta est Borbonica Romae vastatio. Paulus denique tertius in nnum Bonarrotium aedis perficiendae curam coniecit.

Hic dabimus placido mortalia lumina somno;
Hic decoret sculptus nostra sepulcra lapis.
Dixerat. Artifices una concurrimus; ardor
Idem omnes stimulis acribus impulerat
Principis egregii meritos extollere honores,
Addere et inceptis vela secunda novis.
Aemula Bramantes rerum molimina volvens
Rumpebat caecas subter humum latebras.
Ast ego marmoribus gaudebam Iulia bella
Digerere, et centum fingere signa modis,
Oppidaque et domitas urbes, partosque triumphos,
Nec non historias claraque gesta patrum,
Teque adeo Isacidum rector sanctissime Moses (1)
Portantem digito foedera scripta Dei.
Quid memorem tantos ut mors inimica labores
Perdidit? ut carum praeripuit columen?
Ut decus omne meum et dilecti lumen Iulî
Extinctum assiduis prosequerer lacrymis?
Moerentem senioque gravem tu Paule vocabas (2)
Quo me vix celeri laeta iuventa gradu
Egisset cupidum laudis. Nova scilicet aedes,
Quam belli rabies impia distulerat,
Tandem humeris innixa meis fastigia tollens
Constitit indomito firma adamante magis.
Vos duo Pontificum fortissima pectora testor,
Vos mecum claris addita coelitibus:
Semper ad ingentes ausus animosaque coepta
Praebuerat vestri numinis aura viam;

(1) Moisis praeclarum signum ex tot tantisque operibus quae sublimis illa mens cogitaverat in Iulii II mausoleo fere solum insculptum.
(2) Paulus III. Pont. Max.

Hoc tamen insolitis spatiabar in aethere pennis
  Altior: haec operum laurea summa fuit.
Hospes, honoratae supplex dabis oscula terrae
  Quae servat fido pignora tanta sinu:
Post ego te gradibus convexa per ardua ducam
  Lumine qua rutilo splendet ahenus apex. (1)
Hinc ubi squalentes Capitolî valle ruinas
  Effossis late videris aggeribus;
Tarpeiae cecidere arces, inscribe metallo;
  Strata iacent flammis templa superba deûm:
Tuta sub hoc saxo dominaris Roma per orbem,
  Donec in extremo corruat igne cinis.

(1) Ingens templi vaticani tholus.

NOVISSIMUM DEI IUDICIUM

AB EODEM BONARROTIO PICTUM

IN SACELLO SIXTINO

—

CARMEN

Progenies aeterna Dei, quae sidera primum [1]
Aurea spargebas coelo, terrasque nigrantes
Antiquum per inane, gelu tenebrisque solutis,
Floribus et claro variabas lumine lucis,
Te Patris e gremio labi ad mortalia vincla
Iussit Amor, caecisque novum diffundere solem
Gentibus, et nostrae tolerare piacula culpae,
Mox Diti rapientem animas vitaeque potentem
Ferrea disruptis evincere Tartara claustris;
Summe opifex mundi procul hanc procul eiice nubem
Quae meme involvit: da sanctos pingere vultus,
Fulgorisque tui parvas monstrare favillas,
Qualis eris veniens manifesto lumine iudex
Ardentem late flammis ubi straveris orbem.

Hac prece divinum meditans penetralia Sixti
Lustrabat Michael; necdum correpta furore
Dextera primam operis tanti signaverat umbram,

(1) Divinam opem Bonarrotius invocat priusquam difficillimae picturae manum admoveat.

Cum subito impulsae ventis tonuere procellae;
Contremuit templum; densae caliginis horror
Perculit artificem; dilapsi pectore sensus:
Mens tamen arcanum carpebat libera visum.

Aethere ab immenso glomeratis agmina nimbis
Aligerûm huc illuc celeri permixta volatu
Ingentemque Crucem et victricia signa ferebant,
Nec non terribili radiatum luce volumen,
Aerisonasque tubas, quarum clangore sub ima
Valle cavi mugire sinus et opaca sepulcra;
Corporaque attonita et membris cöëuntia membra
Pars faciem exerere, et murmur pavitare diemque,
Pars fugere e tumulis, nisuque erumpere ad auras.
Qualis ubi nemorum spelaea per ardua fulmen
Incidit, excussis flagranti turbine saxis,
Praecipitat sese longe commota ferarum
Turba, neque assuetis haerere cubilibus audet,
Sed ruit in silvas, malefidaque deserit antra;
Non aliter trepida scelerum formidine vulgus
Pallebat iubar invisum sortesque futuras.
At sancti reges et prisco heroes ab aevo,
Qui mores docuere pios, qui sacra dedere,
Foederaque et stabili veneranda altaria cultu,
Erecti virtute caput sublime levabant
Aërios procul in tractus: coniuncta vetustis
Gens nova cum patribus florebat, splendida mortis
Instrumenta suae portans, et honesta tropaea,
Quae retulit, populorum omnes dum sparsa per oras
Fallaces ritus fallacia numina sternit.
Iamque tubae siluere: venit Deus ecce; resultat
Cardine ab immoto tremefactum limen Olympi;

Nubila diffugiunt vasto rutilantia gyro.
Quis nutum iratae frontis, quis verba severae
Sustineat vocis, maiestatemque Tonantis,
Quem Styx atra pavet tellusque et concita fluctu
Aequora, flammiferos cui plaudunt astra per orbes?
Sola tegens vultum casto velamine Mater (1)
Fit propior caro lateri, sed lumina torquet
Non abiecta metu, divinae at fulgura dextrae
Quod nequit eripere, et nati placare furorem.
Ille minax tollitque manum, sontesque repellit
Conatos ab humo spatia alta invadere, turmam
Carceribus saevis Erebi aeternisque catenis
Damnatam, torvos immani mole gigantas.
Innumeri circa praedam stridentibus alis
Poenarum horrenda volucres de nocte ministri
Funduntur: mora nulla, sinu amplexuque parentum
Implicitos frustra divellunt ungue, feroque
Dilaniant morsu; ast alios super hispida terga
Imposuere, ruuntque simul: premit ira tremendi
Iudicis, et rabies crudelibus insita monstris.
Scinditur in barathrum vallis, lacrymosaque pandit
Regna lacusque imos, ubi ripa dirus averna
Stat daemon, miserumque gregem vada nigra petentem
Colligit, et medios vectat Phlegetontis in ignes.

Talia miranti (neque enim sopor ille, nec umbrae
Noctis erant, sed certa Dei splendebat imago)

(1) Deipara ad latus Filii se colligens, vultus Iudicis ira terribilis intuentium animos pietate ac metu in operis summa percellunt. In ceteris partibus mira creandi ac distribuendi varietas est: neque ex infinita multitudine imaginum alteram alteri similem ullam invenies.

Insignis facie superis e civibus unus [1]
Adstitit, ornabant virides cui tempora gemmae,
Pulcrior et stella fulgens lyra tacta fremebat
Pollice. Non equidem patriae terrestris amore
Iungor, ait, tecum, profugae quae somnia vitae
Exiliumque dedit, sed robore mentis, et ausu
Ingenii similes animique ardore movemur.
Proin ego te forti iampridem ad grandia cantu
Exacuo vates, secreta per infera ducens
Sidereasque domos: ego coelo imponere templum
Edocui, Mosis simulacrum, saxaque et aera
Fingere, et alternos pariter miscere colores.
Idem ego postremo comes hortatorque periclo
Immortale tibi patefeci exemplar: ab ipso
Numine conceptis esto nunc viribus audax:
Pinge diem quae colla metet calcanda superbis,
At patriam iustis et ademptum reddet honorem.
Dixerat, arripuitque manum; scintilla per artus
Fervida prosiluit: sese erigit ille, Deumque
Cernit adhuc, vatisque sacri spiramina sentit.

(1) Dantes Aligherius.

PINACOTHECA (1)

CARMEN

Ecce sub apricum, boreae de parte serena,
Picta micant italae tandem exemplaria dextrae
Sedibus aucta novis, et amico lumine gaudent,
Quae prius innocuam coeli spirabilis auram
Claraque purpurei quaerebant spicula solis;
Non secus obscura quam tempestate carinae
Ventorum adverso iactantur flamine, donec
Perfundunt sese radiis freta caerula ponti,
Linteaque in zephyros alte suspensa relucent.

O pater, o decus egregium atque insignia Romae
Ornamenta novo rerum qui munere ditas,
Priscum palladiae revocans virtutis honorem,
Te sequimur; tibi dulce sonant in limine carmen,
Et lapidem adversa descriptum in fronte coronant
Pierides; per te superum simulacra moveri
Cernimus, et vivas hinc atque hinc surgere formas.

(1) Scriptum est carmen cum viveret Gregorius XVI. Pont. Max. a quo Pinacotheca translata est in novas aedes.

Ille senex, torvum ante pedes cui stare leonem (1)
Corpore prostratum magno et cervice refusa
Prima in luce vides, quamquam vix languida coelo
Lumina deficiens supremo funere tollit,
Ut vultus tamen impavidos et vivida mentis
Robora magnanimae praeportat! Ut ardet amore
Aetheriae dapis, et conceptos exprimit ignes!
Hunc quondam populos oracula sacra docentem
Assyrii, Graiique, Oriens miratus et omnis,
Mirata Ausonia, et tyrrheni Tibridis undae,
Vel tegeret canos ardenti murice crines,
Vel iuga silvarum nudus per opaca lateret
Impia mendacis fugiens convicia linguae.
Nos templo ingenti celebres sacravimus aras,
Dilectamque viri effigiem laudesque fovemus.

Ecce autem iuga floriferis redimita viretis (2)
Apparent contra; longeque renidet imago
Sideris in morem aut candentis ab aethere lunae.
Agnosco frontem roseam flavosque capillos,
Incessumque Dei. Sic te formose, priusquam
Morte obita Patris in gremium ad tua regna redires,
Thaboris umbrosi memorant felicibus arvis
Humana haec spolia atque humilem posuisse figuram,
Cum pavidi comites insuetum effulgere lumen
Et faciem stupuere novam, nimbumque sonantem
Desuper, et liquidas velamina fusa per auras,
Dulcia carpentes manifesti gaudia visus. ——
Margine purpureo, tenuem qua lucidus undam

(1) Divus Hieronymus moriens; tabula Dominici Zampierii.
(2) Christus in Thabore; insigne Raphaelis opus.

Rivus agit, denso circum fremit agmine vulgus.
In medios iuvenem miseri rapuere parentes,
Amplexique tenent: furit ille et brachia nisu
Terribili intorquet: credas confusa frequentum
Ora virûm, atque omnes compleri murmure campos.
Non haec graeca tulit, non haec romana vetustas,
Nec tantum artifices decuit sperare profanos;
Relligio sed enim caelestes diva colores
Ipsa tuis Raphael manibus permisit, et alte
Numinis exemplar speciemque reclusit Olympi.

Aspice ut adversi radiat qua linea solis (1)
Tres rutilant gemmae; quarum pulcherrima turres
Fulgini procul et campos ostendit apricos.
Aëra per liquidum iactu pila concita Martis
Sulphureo gravis igne volans (mirabile) in arcem
Incidit, et nulla tonuit metuenda ruina.
Prospectu puro nitidam crebrescere nubem
Aligerûm dicas. Medium tenet aurea Virgo
Picta sinus rubro fulgentis murice pallae;
Caeruleos humeris Infans praetendit amictus:
Maternus color huic, et lactea colla manusque,
Maternaeque genae: curvo tum leniter arcu
Flexa sub obscurum nebulae sese explicat Iris.
At violae crevere solo, circaque rosarum
Germen odoratum viridi perfunditur herba.
Coelicolae divam per gramina laeta salutant.
Ante puer tenero similis collucet Amori,

(1) Duae Raphaelis picturae; Deipara, dicta de Fulgino; eademque in Coelis corona donata: tertia tabula ipsius argumenti, auctoribus Iulio Pippio Romano, et Francisco Pennio.

Mollia puniceis figens vestigia calthis,
Qualis ubi tremulis hyacinthus roribus humet,
Perpetuusve rubet vernis amaranthus in hortis.
Quidquid imaginibus lusit Pictura creandis
Corporis in parvi collectum est omne figura.
Cetera quae propius mentem dulcedine tangunt
Commemorem? Ut sese tumuli pallentibus umbris
Terrarum Coelique potens Regina levarit,
Que modo virgineos letho demiserat artus
Languida iucundi carpens oblivia somni?
An fratres dicam attonitos haerere sepulcro?
Vel permixta rosis ut fundat lilia marmor?
Centum aliae superant tabulae, si forte voluptas
Tectorum longos iubeat penetrare recessus;
Non tamen invenies quidquam formosius. Hic flos,
Hae sunt primitiae, haec urbis decora inclyta nostrae;
Nocte velut pura stellis innubilus aer
Cum micat et varios huc illuc dividit ignes,
Altius oceani miramur surgere ab undis
Pleiadas, auratamque lyram, fulvumque puellae
Gnossiacae crinem, aut flammantis cornua tauri.

At tu magne pater, quando haec ingentia dona
Auspiciis perfecta tuis, inopinaque rerum
Copia parta loco est, sanctas impendere curas
Artibus ingenuis dulcemque urgere laborem
Ne dubites. Viden ut pateant tibi mille reperta,
Quae modo sub dio primum spectanda locantur (1)
Aeraque, et argillae tenues, et pocula pictis
Ornata historiis, aurique immensa suppellex

(1) Museum Etruscum.

Pulvere tyrrheno et squalentibus excita bustis?
Sic quondam Leo magnanimus, qui nomine dici (1)
Alter ab Augusto meruit, sic fortis Iulus,
Urbibus Italiae felici Marte receptis,
Gaudebant lapides et grandia tollere signa
Heroum, semperque domos aperire recentes
Lauricomos inter lucos, ubi pulcher Apollo,
Antinousque, et membra fero circumdatus angue
Laocoon, ubi graiugenum simulacra deorum,
Candidaque aoniae complerunt limina Musae.



(1) Leo X, Iulius II.

DIVI HIERONYMI LAUDATIO (1)

CARMEN

Te quoque, dum patribus stabunt sua templa vetustis,
Dive senex memorem, fulvo metuende leone,
Macte animis, macte eloquio. Tibi palmifer Hebron
Iordanesque sacer, tibi grandibus ardua cedris
Plaudit odorato Libani de vertice rupes.
Nam neque Idumaeae nemora aspectumque ferarum
Horrueras, neque tecta cavis inventa sub antris,
Quamquam purpureae praefulgens murice vittae
Romuleos inter proceres venerabilis ires.
Libertas sed enim illa tua atque interrita virtus
Urbe procul taciti rapuit per devia montis
Nescio quae praeclara animis incepta moventem.
Tempestate illa fines allapsa latinos
Barbaries gelida veniens pervaserat Arcto;
Ferreaque ingenia et vesanae caedis amorem

(1) Studia viri doctissimi in solitudine bethlemica, libertas in vitiis obiurgandis, robur animi contra invidos obtrectatores Christianam Poesim vehementer alliciunt ad peculiarem laudem sapienti ac forti dedicandam.

Imbuerant; neque honos pulcris erat artibus usquam,
Aurea nec veterum florebant scripta virorum
Tela inter media atque horrendi praelia Martis.
Omnia quae tecum firma dum mente volutas,
Ire alacrem contra tanto in discrimine visum est.
Nam perhibent olim Lagidae regis Ptolemaei
Auspiciis longe populis lateque receptas
Isacidum historias primaeva ab origine mundi,
Fortia bella ducum, victoque ex hoste tropaea
Reddita Graiorum linguis Pelopeïa circum
Litora florentesque Asiae volitasse per urbes.
Quae quoniam patrio nondum sermone Quirites
Attigerant, cupidas vulgi deducis ad aures:
Neve palestinae maiestas regia formae
Nativusque decor pereant labentibus annis,
Floribus et niveo Latii depicta colore
Provehis in cunctas divina volumina terras.
Ac veluti aëriis si forte e montibus imber
Pulsus abit zephyris, roseoque apparet ab ortu
Sol nitidus claro diffundens aethere lucem,
Omnes tunc speculae ac gelidas iuga summa per Alpes
Attollunt capita et radiis perfusa renident;
Non aliter nebulis sese explicuere remotis
Antiqui heroes, pulcherrima gentis origo,
Isacusque parens, et candida Labaninae
Rachelis soboles Aegypto cara virenti,
Et Mosis gravis umbra, et belli fulmen Iudas
Rapta gerens humero saevi Nicanoris arma.
Qui tum adeo cupide affusi complexibus omnes,
Una omnes placido lustrabant lumine amicum:
Ac sua quisque novae captus dulcedine linguae
Facta recensebat, legesque et foedera ritu

Instaurata pio; et divinae oracula mentis,
Quae quondam populis fuerant oblita profanis.

Salve o facundae clarum decus addite Romae,
Seu mage Romanus gaudes seu Dalmata dici;
Nam te montosa genitum Stridone togati
Viderunt cives summis de rebus agentem
Cum Damaso, imperiique alto sub pondere fortes
Inclinantem humeros, ni gens foedissima contra
Movisset caecam invidiam atque odia aspera vulgi,
O ubi magne tui secreta in parte recessus,
Et nemorum latebrae dulces! Ubi longa silentum
Otia camporum, et solae sine murmure valles!
Te-ne sinu placido fessum sanctissima tellus
Accepit? Te-ne extremae sub fine senectae
Funere composuit mollique amplexa sepulcro est
Cara Deo tellus et Nazaridi Heroinae ?
At mihi nonne vides pater (ut primaeva iuventus
Purpurea similis violae gracilive ligustro
Excidit, et viridem demisit languida florem,)
Dum sequor instabiles annis fugientibus umbras,
Praemia nequidquam contemptis debita Musis
Expectans, facilemque manum et solamen amicum?
Proin, duce te, qua nulla hominum vestigia, nulla
Occurrat facies, aut importuna sequantur
Murmura, quadrupedesve citi currusque volucres,
Certum est Carmeli rupes ac Thaboris altum
Culmen et Hermonis desertos quaerere fines,
Quotque tenet gremio silvas Galilaea lacusque;
Certum est Bethlo tecum vigilare sub antro.
Nam procul a turba strepitus si forte resedit,
Nec iam turrigeris apparent moenibus urbes,

Omnia muta, silent campi, silet aequor, et undas
Candida per tremulas lunae scintillat imago,
Aetheriae sedis dum contemplator apertis
Indulges spatiis, tacitoque vagantia gyro
Sidera prospectas, tunc mens divinitus ignem
Concipit, ac pennis invecta nitentibus alte
Erigitur terris, et libera gaudet Olympo.

BIBLIOTHECA

EPIGRAMMA

I.

Ingredere, at tacitus. Custos veneranda silentî
  Pauca tibi nullo murmure verba loquar,
Ne placidas veniat sapientum rumor ad aures,
  Qui mentem libris applicuere meis.
Pontificum auspiciis crevi fundata vetustis
  Doctrinae ut lumen praesidiumque forem.
Quidquid ab antiquis collectum est nobile chartis,
  Quas neque ad exitium barbara praeda tulit,
Invida nec flammis aetas vel tabe peredit,
  Cuncta sinu mater sedula composui.
Maximus hanc aedem statuit mihi Sixtus; honorem (1)
  Provehit, en, cultu splendidiore Pius. (2)
Haec te scire hospes satis est. Nunc scripta revolvas.
  Libera largimur munera nostra. Sede

(1) Sistus V.
(2) Munificentia Pii IX. marmoreo pavimento, novo thesauro numismatum aliisque divitiis Bibliothecam auxit.

DE TERENTII ET VIRGILII

CODICIBVS VETUSTISSIMIS

IN BIBLIOTHECA ASSERVATIS

II.

Hic geminus Charitum fons est: hoc alma liquore
  Pieris, hoc gaudet tingere labra Venus.
Silva nitet circum felici candida myrto;
  Sparsaque purpureis labitur unda rosis.
Hinc haurire decet, iuvenes. Externa cavete
  Pocula, quae flavo melle venena tegunt.
Illa creant dulcis patriae fastidia; nectar
  Mentibus hoc italis pabula prima dedit,
Aeternumque dabit; quamquam atro gurgite torrens
  Spumeus, heu, campis ingruat ausoniis.
Andria, noster amor, salve pulcherrima! Salve (1)
  Aenea, genitor maxime Romulidum!
Vivite florentes ambo. Vos ferrea secla,
  Indignam Latio vos prohibete luem.

(1) Andria princeps Terentii comoedia. Aeneas Virgiliani poematis heros.

DE MUSEI ORIGINE (1)

—

CARMEN

Musae, quae gentes italas quaeque inclyta Martis
Moenia dircaeis olim venistis ab undis,
Pandite claustra deûm vulgo secreta profano,
Templaque odoratos inter candentia lucos.
Quae quoniam nulli cecinerunt carmine vates,
Ne male dispereant veterum monumenta Quiritum,
Primus ego ingrediar cithara. Iuvat omnia longe
Metiri spatia, et sacris requiescere in umbris,
Phidiacos vultus heroaque signa moventem
Iampridem insueti correpta cupidine cantus.

Principio, quacumque loci sese ardua tollit
Maiestas, cum sole novo felicibus aer
Intepuit zephyris, et culmina summa relucent,
Mons erat, exiguique lares, et aprica viarum
Virgineis dilecta choris iuvenumque palestrae.
Atque aliqua hic divûm iam tum surgebat imago
Saxea, nobilibus ceu saepe videmus in hortis
Stare vel Alciden vel amantem tela Dianam.
Nondum amplexa sinu vicinos area fontes
Porticibus magnis gelidaque incluserat umbra:
Tantum inter platanos vario de flore coronae
Pendebant Nymphis. Ea rerum fertur origo.

(1) Brevem narrationem ordimur de Aula Vaticana, quae ab antiquis hortis, ubi aedes erant Innocentii octavi et Alexandri sexti, in tantam crevit monumentorum copiam totque partes artium ditissimas perpetuis curis Pontificum ut nihil dignius videatur cantu romano.

Donec signa patrum campis inventa latinis
Romanosque deos aeterni robur Iulî (1)
Pulvere ab ignoto superas erexit in auras.
Ille recentis aquae latices et myrtea Tempe
Fecerat hospitibus viridique sedilia musco,
Unde urbem clivo ex alto septemque tenerent
Prospectu colles, et apertis undique campis
Acciperent clarum surgentis lumen Eoi.
Regales etiam turres et grandia primus
Fundamenta dedit: sed enim fortissimus heros
Martem agitans victor post praelia longa reliquit
Partem operis tibi magne Leo, quem romula tellus
Augusto similem celebri suspexit honore.

Tempore non alio sacris errare viretis
Gaudebant, coetuque domos complere beatas
Egregii iuvenes, quibus idem rector et auspex
Non impar superis aurem inclinabat amicam,
Si quando ludis animum fidibusque levarent.
Martius ante omnes positis processerat armis (2)
Castilio, Tyrtaeus uti, magnumque sonabat;
Vel rigui fontis praecelsa in parte iacentem
Reginam saevo quae brachia nexuit angue
Diceret, et miseros manes umbramque cieret;
Coniugis aut carae fidum meminisset amorem
Hippolytes, pulcraeve lyram laudaret Elisae.
Tunc primum strepere ingenti penetralia plausu
Miratus frontem aetheriam convertit Apollo.

(1) Iulius Secundus et Leo decimus Pontifices Maximi Vaticani Musei fundamenta coniecere.

(2) Vide pulcherrimum Castilionis carmen de Cleopatra ad latus ipsius statuae marmore inscriptum.

Ipse nova Raphael tactus dulcedine mentem
Ad sonitum citharae doctas pingebat Athenas,
Concilioque sedere viros, mediumque Platona,
Aut vatum aoniis volitare in montibus umbras; (1)
Nec procul hinc Solymae pavidas accurrere matres,
Disiectumque hostem sacro de limine templi
Turbine provolvi, et sparsas tellure rapinas.
Contra autem Latio, frustra indignantibus Hunnis,
E Coelo iussum deflectere signa tyrannum;
Vastaque misceri tremulis incendia flammis.
Parte alia certant alacres describere alumni (2)
Isacidum historias ab origine prima animantum:
Atque aliquis leviora operum miracula texit
Centauros Dryadasque, et corpora mixta ferarum,
Singula quae varia fingant sub imagine lusus
Naturae similes. Viden alto in fornice ut omnis
Maeandro paries implexa et fronde renidet?

Iam sol tercentum volvens circumvagus orbes
Divitis Ausoniae moderantem sacra videbat
Fraena Pium, et placidas tanto sub praeside terras. (3)
Cuius in imperio postquam se maxima Roma
Composuit, viridique caput praecinxit olivo,
Aurea Pieridum risit domus; aurea late
Aggeribus crevere novis fastigia montis;
Ceu memorant Rhodon antiquam aut Danaeïa tecta
Purpureos ex imbre Iovis duxisse colores
Cum deus argivae subiit penetrale puellae.

(1) Praecipuae Raphaelis picturae in Aula Leoniana.
(2) Peristylia depicta a primoribus e schola Raphaelis.
(3) Pius sextus Pont. Max. quod Iulius et Leo inchoaverant perfecit. Ceterae Musei partes additae a Pii VI. successoribus.

Protinus ecce silex duro sonat incita ferro;
Murmure complentur late loca: nectere funem
Hi properant, tardosque rotis impellere cippos;
Illis cura solum pictis variare lapillis:
Pars vehit excisas tyrrhena rupe columnas,
Erigit et multo vastum molimine pondus.
Iamque adeo, gemino discretis ordine signis,
Panditur immensum nullo via limite, quantum
Vix cursu rapido valeant superare quadrigae.

Prima tenens divûm genitor, qua plurimus aether
Funditur, et minio sparsum rubet omne lacunar,
Qualis erat tarpeia sono cum templa moveret,
Desuper aetnaeos compescit fulminis ignes;
Nec longe pennas in ventos explicat ales.
Proxima frondoso nemoris sub tegmine Pallas
Gorgonis horrisonae vultus molemque rotarum
Abdiderat, dein rore comas perfusa liquenti
Prodiit inachios referens pulcherrima cultus.
Ante oculos divae sese Herculis attollebant
Exuviaeque caputque ingens et grandia membra.
Non illum thalamo coniux molliverat Hebe
Fortis adhuc memorem luctae domitique Erymanthi.
Iam Venus, atque iterum Veneri comes ibat Adonis;
Ibat Amor, curvumque ferens Latonia sidus,
Et Maiae puer, et phrygia qui raptus ab Ida est;
Mille super clara iuvenes e stirpe deorum.

Nec vero sedem angustam, loca pervia vulgo
Indigetum, Musae, aut humiles duxistis honores. (1)

(1) Musae, statuae pulcherrimae, in villa Adriani prope Tibur inventae, cum Apolline Citharedo atque insignibus hermis sophorum oratorumque Graeciae, conclavi proprio continentur.

Nam velut ascraeae quondam per culmina rupis
Unus amor fuerat socias agitare choreas,
Nunc quoque virgineo Saturnius agmine iussit
Carmina nota sequi citharam moderantis Agyei.
Hic mihi, dum studiis florens puerilibus aetas
Ludere Virgilii primum gaudebat avena,
Saepe deûm insolitis sub noctem visa figuris
Magna dabant simulacra metum; saepe atria longo
Implentes fremitu iunctis discurrere Faunis
Maenadas, aut dubias errantem Pana per umbras
Mirabar tacitus carae post terga Thaliae.
Illa simul vultus et nomina prisca docebat
Heroum, gemino vel Laocoonta dracone
Implicitum, vel te Perseu, cui torva Medusae
Ora manu saevique rigent pro crinibus angues,
Antinoum parii lapidis candore nitentem,
Et iuvenem Oenidem, et solis Minoida saxis:
Cana simul celebri devinctos tempora lauro
Monstrabat vates, galeisque insignibus alte
Tela movere duces magnorum robur Achivûm.

Nunc quoniam veteres acuit mihi diva furores,
Igneus et firma crevit vigor ille iuventa,
Pierio turbam hanc animarum accendere cantu
Experiar, capiti divini innixus Homeri.
Scilicet hunc patriae memorem sacrare laborem
Nitimur, et sparsum cinerem atque erepta favillis
Pignora cara tui genitrix antiqua fovemus:
Cetera barbaricae clades avidaeque rapinae
Abstulerunt, vel longa tegit squalore vetustas,
Aut ipsi inter se civilia bella gerentes
Infandum! ferro atque igni stravere nepotes.

CARIATIS (1)

—

EPIGRAMMA

I.

Moenia Cecropidum flavus qua lambit Ilissus
  Vertice Pandrosium sustinuisse feror.
Quinque aliae mecum valida cervice sorores
  Fulcibant tremulae saxa vetusta deae. (2)
Ipsa caput solvens ingrato pondere veni
  Graiugenum e domibus romuleum ad Tiberim.
Integra in ausonias arces et libera surgo:
  Pandrosii moles pulverulenta iacet.

(1) Venetus dux Morosinus Athenis potitus an. MDCLXXXVII Cariatidem hanc e porticu Pandrosii transtulit cum fragmine sculpturae phidiacae ex Parthenone. Opera huiusmodi primum Venetias perducta dehinc Romam Pius septimus ex aede Iustinianea in Museum Vaticanum inferri iussit.
(2) Palladis quae ministram habuit Pandroson.

CAPTIVUS DACVS[1]

—

II.

Barbarus appellor? Potius me dicite fortem.
Rex et liber eram: defendi libera regna;
Subieci impavidus romanae colla securi.
Barbarus ille fuit qui me non iure sed armis
Oppressit, qui sanguineo Capitolia curru
Invectus iusto regem spoliavit honore,
Impia qui statuit virtuti praemia mortem.

(1) Caput pileatum opere eximio, pars captivi regis qui arcum Traiani ornabat.

SILENVS (1)

III.

Te Silene relinquerem sub antris
Montium nemorumque fabulosum
Numen Arcadiae; sed es magistra
Arte sculptus, et inter altiora
Heroum simulacra vindicandus.
Vivit spiritus igneus; micantes
Nervi prosiliunt, tumentque venae.
Stat Bacchus puer hispido reclinis
Pectori, validosque per lacertos
Nectit brachia lusitans; coronam
Florentes hederae ligant capillis.
Non senex temulentus in iocosis
Nympharum choreis utrinque nutans,
Et manu implicitos levans racemos,
Sed torosus et impiger videris
Crura tendere mobilesque plantas.
Sublimis fuit artifex, virilem
Informavit imaginem palestra
Dignam, non trivio levique turba.

(1) Nulla huic grandi signo laus par est, vel mentem in puero Baccho defixam mireris, vel corporis motum alacrem ac vividum. In aedibus Ruspoliis erat.

AVGVSTVS ET POETA (1)

—

SERMO

Aurea vicini montis de vertice luna
Tollitur, et radiis pellens crescentibus umbram
Infert se dominam tectis ubi dulcia Musae
Inter odoratas posuere sedilia myrtos.
Lumine tacta novo spirantia marmora fulgent
Semideûm. Iuvat Augusti prope signa vagantem
Ferre pedem. Citharae gaudebat munere Caesar;
Pulsemus citharam. Viden' ut capita alta moventur?
Ut lorica nitet variis distincta figuris?
Salve Auguste. Tuam longo post tempore Romam
Venisti: Ausoniae columen tutelaque salve.

Aug. Quis tu?
Poe. Virgilii Flaccique haud vilis amator.
Aug. Nomina cara mihi. Veteri de pulvere surgo.
Quid nova fert aetas, quid cogitat itala virtus
Scire velim. Narra
Poe. Dicam. Mercator avarus
Qui male collectis opibus fit publicus auri
Venditor; auriferi saltatrix diva theatri,

(1) Signum hoc praeclarum Augusti in villa Liviae nostro tempore inventum est. Dialogus miseram sortem artium optimarum deplorat.

Subdolus arcanae fraudis scelerumque magister
Cui iocus in populum varios miscere tumultus,
Vel qui venales tacita sub lege potentum
Spargit ephemeridas, vel qui milesia fingit
Somnia, corruptor morum, pestisque iuventae,
Regna tenent. Pravis scriptoribus adde tribunos
Plebibus invisos, aut lingua aut ense furentes;
Hic rerum color, haec aevi praesentis imago.

Aug. Italia infelix! Ergo studia inclyta patrum
Factaque degeneres proculcavere nepotes?
Nuncius es veri? sapientum florida nutrix
Infoecunda iacet?

Poe. Caesar, ne dixeris orbam
Ingeniis terram quam dividit Apenninus,
Quam mare et oppositis circumdant frontibus Alpes
Non valet errorum nubes, non decolor aetas
Italicae mentis nativam extinguere flammam.
Luctamur pauci fortes, animosque leonum
Fortunam contra gerimus. Non limina Crassi,
Non colimus mensas Luculli opulentaque rura.
Doctrinae clausere fores? Ridemus, et inter
Frondosas platanos, vel aprico in margine fontis
Versamus libros. Tranquilla fronte Minerva
Spernit inane iugum et miseri ludibria fastus.

Aug. Mecoenas Flacci villam parvosque penates
Visebat facilis, cum diceret ille nitentes
Bandusiae rivos et mitia Tiburis arva.
Pollio sicelidis laudabat grande Thaliae (1)
Carmen, et ipse ausus tragico miscere cothurno
Dalmaticas lauros. Quid te Messala recorder?

(1) Si canimus sylvas, sylvae sint consule dignae - Virgilius de Pollione·

Teque gravis Lolli praeclaris vatibus usos (1)
Iure sodalitii? Nunquam haec illustria facta,
Nunquam animas tales posthac cernetis? Amice
Cur defigis humo vultum taciturnus et anceps?
Poe. Sola magisterium terris pulcherrima Roma
Instaurare valet. Quercus radicibus altis
Firma solo, complexa orbem, si vere recenti
Foecundos imbres et dulces sentiat auras,
Germina prisca feret. Sapiens Leo, fortis Iulus (2)
Alter ab antiquo genuerunt aurea secla
Aequa tuis, celebres studiis florentibus aulas,
Magnanimos proceres exoptatumque favorem
Artibus
Aug. Ignoro
Poe. Civilia bella memento,
Sanguineos Haemi campos, Brutumque peremtum.
Tempore non illo poterant assurgere Musae;
Languebat placidi Sophie regina Lycei;
Oppida fumabant flammis. Tute ipse triumvir
Non sceleratus eras? Non truncum ad Rostra sinebas
Ire caput Tullî?
Aug. Quorsum haec?
Poe. Cedentibus armis
Clausisti Ianum; mutataque fata repente.
Scriptorum coetus illustravere superbi
Tecta Palatini: Marcellum Octavia flevit

(1) .... Non ego te meis
Chartis inornatum silebo:
Totve tuos patiar labores
Impune Lolli carpere lividas
Obliviones — Horatius
(2) Leo X- Iulius II·

Percita divini cantus dulcedine mater; (1)
Graiorum numeris certavit Horatius audax;
In nova mutatas depinxit corpora formas
Sulmonis vates; elegi placuere Tibullo:
Vatibus egregiis nil, te regnante, negatum.
Non aliter post saevam hiemem, cum mollibus auris
Crispatur pelagus, nebula fugiente per undas,
Vela nitent; surgit clamor; dant aequora sulcos
Argento similes forti sub remige; proram
Cingit nauta rosis , et litora cara salutat.
Quid loquor? Obriguit marmor; tristissima nubes
Fronte sedet gelida. Procul, o, procul omina dira.
Carminibus patriae longum mulcere dolorem (2)
Conamur; miserae patriae solamen amicum
Quaerimus, et vanas non expallescimus umbras.

(1) Heu miserande puer, si qua fata aspera rumpas
Tu Marcellus eris - Virgil. Aeneidos VI.

(2) Scribebam mense septembri an. MDCCCLXVII: quum Latium perduelles caedibus ac rapinis funestarent.

LVCIVS VERVS (1)

Principis ambitio divûm sibi poscit honores.
Lucius en Verus. Si contemplere micantem
Caesaris effigiem, tam pulcro in marmore credas
Eximium spectare virum. Reiecit amictum,
Candidus ut Pollux; romanaque signa triumphi
Ostentans dextra mendax attollitur heros.
At longe dispar fuit isti vita; nec ulla
Facta probant formam, non laus tranquilla togati,
Bellica non virtus, non regna externa Quirini
Adiecta imperio. Simulacrum deme, sepulti
Nil clamant cineres; nil grande aut utile narrat
Scriptor ab antiquis removens oblivia fastis.
Ingenium artificis pretium sibi vindicat. Artes
Quidquid in humanos usus natura creavit
Nobilitant. Saxum hoc quondam deforme latebat
Aut monte inclusum pario aut lunensibus antris.
Docta manus vivam iussit spirare figuram
Culmina romulei stantem super ardua collis.
Nos post horrendam nubem saevasque procellas
Annorum foedo detersum pulvere signum
Eruimus terra, et patrias revocamus in auras,
Ut stellam, tremulo vincens quae lumine noctem
Sublimis nigra pelagi scintillat ab unda.

(1) Marci Aurelii consors in imperio, nulla laude ornatus, praeter corporis pulcritudinem, quae ab optimo artifice expressa nobiliter fuit.

MINERVA MEDICA (1)

—

ELEGIA

Talis eras, Iove nata, leves delapsa per auras
  Cum premeres niveo Cecropis arva pede,
Inter et argivas ires veneranda puellas,
  Inachiis quae te fontibus abluerent,
Si forte horreres phlegraeae sanguine pugnae,
  Vel nigram libyco pulvere sparsa comam.
Splendidior vitreo surgens de flumine cristas
  Tollebas galeae purpureumque iubar,
Et torvam imposita velabas aegida palla,
  Ne septum diro Gorgonis angue caput
Terreret placidae florentes Hellados urbes,
  Neu Danaos rigidum verteret in lapidem.
Cincta dehinc nebulis, nulli manifesta profano
  Thessala cum sociis per iuga virginibus
Certatim celeri volitabas flammea cursu,
  Nunc gelidas Haemi vincere sueta nives,

(1) Minervae Poliadi nomen fecere Attici, templumque statuere secus Pandrosium. Notam graecae severitatis praecipuam, integrum marmor, numinis maiestatem in hoc signo contemplamur. Erutum fuit ex aede Minervae Medicae in Exquilino.

Nunc rapidum Eurotan, ubi caestu armata iuventus
  Exercet ludo fortia membra fero.
Sed te Praxiteles resoluta nube nitentem
  Vidit Erectheo stare super tumulo;
Marmor et in parium divinae lumina formae
  Transtulit, ut signis aemula phidiacis
Incoleres docti felicia rura Lycei,
  Grataque honoratis frondea tecta sophis.
Obstupuit pulcra perculsus imagine mentem
  Ingenio pollens nobiliore Plato.
Ille quidem, dea magna, tuo suspensus in ore
  Ignea stellarum templa tenere animas
Carcere disrupto atque aevum immortale docebat:
  Quem circum intenti Cecropidum proceres
Et sacri vates et mixti vatibus ibant
  Heroes, lento turba verenda gradu.
Tu celebres sapientum aedes fidissima custos
  Servabas densis alta sub arboribus.
At postquam Graiis latiae fulsere cohortes,
  Armaque tarpeii sunt tibi visa Iovis,
Hospes laurigeri venisti ad Tibridis undas,
  Theseas gaudens posthabuisse domos,
Mitibus ut studiis cultu et meliore ferocem
  Magnanimi Aeneae progeniem imbueres.
Auspice te victrix turrito vertice Roma
  Emicuit claris aurea porticibus:
Zeuxidos inspectae tabulae; monstratus Apelles;
  Lysippi in pretio sive Myronis opus:
Nec minus eloquium curae, dilectaque Musis
  Otia, vel medio murmura crebra Foro,
Rostraque, et attoniti linguae ad certamina cives,
  Curia seu gravibus splendida consiliis.

Hic etiam coluber formosae carus Hygiae
  Accubuit plantis candida diva tuis.
Nam memorant, cum saeva lues deformia late
  Funera per campos sterneret Ausoniae,
Delectos ex urbe viros, qui numina Phoebi
  Consulerent, Delphis applicuisse ratem.
Pythia fatidicum quassans caput, ite Epidauron,
  Ite, ait; hinc fessis quaerite rebus opem.
Quo simul ac zephyri volucrem advertere carinam,
  Asclepî sanctis thura dedere focis.
Dumque graves auro pateras votivaque ponunt
  Munera, dum cultris victima caesa cadit,
Ecce deus qui membra fovet vitalibus herbis,
  Serpentis placidam versus in effigiem
Insiluit puppim, et rutilo fulgore coruscans
  Arduus Ionium per mare flexit iter:
Dein vada Tyrrheni transvectus ad ipsa Quiritum
  Moenia flumineis nabat amicus aquis.
Aggere in herboso phrygiis tibi diva columnis
  Limen et implicitis frondibus ara fuit.
Ille trahens lentos ripis declivibus orbes
  Te prope marmoreo corpore pressit humum:
Unde tibi Medicae nomen, quod flamma Minervae
  Clarior ardescit cum viget alma salus.
Heu quid inoffensum patitur longaeva vetustas?
  Ingruerat ferro barbara colluvies;
Molibus aggestis putri tellure iacebas
  Seclorum gelido squalida facta situ:
Rupisti caecas tandem indignata cavernas
  Cuspide, ab ignotis prosiliens latebris.
Nunc te coetus habet divûm, nunc purior aura,
  Et citharae et dulces Pieridum choreae;

Quaque oculos vertis spirantes undique Achivos,
  Undique Romulidum lumina prisca vides:
Libera fulminei laudas Demosthenis ora,
  Sed magis adversum suspicis Euripiden.
Hasta tremit; sacro dat lucem in pectore Gorgon;
  Excitus ipse draco squamea colla movet;
Semidei tacuere; at plenus numine vates
  Iactat adhuc tragico grandia verba sono.

PVDICITIA (1)

EPIGRAMMA

I.

En ego romuleas inter pulcherrima divas,
Tradita cui morum cura pudica fuit,
Illuvie putri templisque educta profanis
In medium veni conspicienda iubar,
Gentis ut ausoniae conarer tollere luxum
Indecorem, atque artes perdere femineas,
Ostendens specimen formae coelestis, et ignem
Divinum gelidis insinuans animis.
Plurima spectatum volitat me turba; nitentem
Hic faciem, hic pallae nobile laudat opus;
Rara Pudicitiae sequitur praecepta iuventus;
Rara facit castae vota puella deae.
Heic vicina mihi Venus est, quae me imbroba ridet,
Pectora quae falsis abstrahit illecebris:
Virtutem haec italam patria depellere terra,
Haec iubet externam discere mollitiem,

(2) In fronte habet Minervam. Romanum signum est, nobilitate formae aemulum graeci.

Cantibus et choreis aurum dare, spernere Musas,
  Et Sophiam in vili deseruisse luto.
Dedecus hoc tolerare diu piget. Aut mea ferte
  Imperia, et foedo solvite colla iugo,
Aut me, iam signum infelix et inutile marmor,
  Pulveris antiqui proiicite in latebras.

TITVS (1)

—

II.

Cerne favum pedibus. Titus est. Benefacta piumque
Principis ingenium sedula monstrat apis.

(1) In calce statuae favus apparet.

NILVS (1)

—

III.

Nile iaces: pueri circum tua corpora ludunt;
Hic per crura salit; possidet ille humeros.
Altior e cornu qui sese attollit opimo
Parvula coniungens brachia laetus ait:
Faecundat genitor pleno iam flumine campos.
Agricolae surgant. Ridet amica Ceres.

(1) Leonis decimi iussu in Museo locatus, recenti scalpro egregie instauratus in pueris.

FORTVNA

ET

BIAS SAPIENS (1)

—

SERMO

For. Cur me docte Bia risu contemnis amaro?
Non sum diva potens? Non fert mea dextera remum
Mortalis dominum pelagi? Non divite cornu
Iucundas telluris opes sub imagine florum
Pomorumque gero? Cinctum diademate crinem
Arripe: magnus eris
Bi. Laudet tua munera vulgus;
Proculcat sapiens
For. Sed me Periander adorat,
Me sapiens Amasis
Bi. Sunt reges: ille Corinthum,
Hic premit Aegyptum. Sequitur sua cura tyrannos:
Liber ego
For. Sed palliolum tibi putre; sed alges
Paupertate: brevis tibi mensa, et lectulus asper.

(1) Fortunae statuam in novo claustro Pii VII. vides, hermam Biantis in Aula Musarum. Hic iunguntur philosophice in divitiarum contemptum.

Bi. Candida me Sophie coelesti nectare pascit:
Esse deus videor
For. Demens, venerare potentem
Germanam Fati
Bi. Sperno
For. Haud impune lacessis.
Bi. Percute: maior ero. Nihil importuna dedisti;
Nil potes hinc auferre
For. Dabo, si tendere dextram
Incipias
Bi. Pura est sceleris. Iam percute; cernes
Nudum opibus, sola tectum virtute Biantem.

ANTONIA

GERMANICI MATER[1]

—

CARMEN

Claudia progenies crinem circumdata lauro
Tollebar fama coniux Antonia Drusi,
Fortunata parens cum tu Germanice dextra
Tarpeium quateres fulmen Rhenum inter et Albim
Littus ad oceani, patria virtute superbum
Arminium sternens, Vari fortissimus ultor.
At postquam invidiae stimulis flammantibus arsit
Caesaris ambitio, teque ipso in flore iuventae
Perdidit occulta deceptum fraude veneni,
Heu nate infelix, mihi detestata senectus,
Et iuges lacrymae et furiali terror in aula.
Ire per antiquam silvam nocturna videbar.
Semiruti circum valli, dispersa iacebant
Ossa inter cumulos galearum, squalida pila,
Deformes aquilae. Turbata fronte cohortes
Spectabant capita horrendis extantia truncis
Barbaricum in morem. Tu vasta aperire sepulcra
Dilectis animis, lacerataque signa Quirini
Auferre indecori limo glebisque cruentis:
Tu coniuratos bellum ad civile maniplos

(1) De Antonia senioris Drusi uxore Caesaris Germanici matre Tacitus in secundo Annal. flexanimi eloquentia narrat, vetuisse Tiberium ne misera parens ad exequias Germanici communi urbis luctu çelebratas in publicum e Palatino prodiret. Hoc carmen describit illustrem feminam filii casus plorantem.

Sistere terribilis verso in tua pectora ferro.
Te scopuli abruptis e verticibus pendentem
Cernebam vento sparsas revocare carinas,
Te gelidas lecto palmas cum voce suprema
Tollere, nudatis gladiis accurrere amicos
Iurantes, superosque deos Erebumque cientes. (1)
Has mihi pingebam formas; haec somnia moestae
Portabant noctes, longis cum tecta querelis
Implerent dirae volucres, et turbida nimbo
Luna sub antiquas caderet moribunda cupressus.
Gaudebat nostro crudelis Livia fletu.
Arbiter invisus miseram prohibebat inanes
Fundere singultus, testari et voce dolorem.
Cumque tuos cineres fidissima conderet uxor,
Martis et in campum turmatim ad funera cives
Corruerent, gemituque virûm fractoque ululatu
Audirem longe misceri Tibridis undas,
Sola palatino captiva in limine mater
Tristibus excubiis duroque adamante tenebar.
Rupit vincla dolor: stygias penetravimus umbras
Coniuncti manes, tacitaque in nocte vagamur
Dulcia quaerentes ingratae oblivia vitae.
Romulidum pietas statuit mihi nobile marmor,
Solamen luctus: sed habent monumenta nefandi
Artifices etiam scelerum; nec libera virtus
Concessum indignis facile amplexatur honorem.
Aspice; non procul hinc cervice Tiberius alta
Imperium ostentat. Video spirare ferocem
Sanguine respersum; fumanti lumine taedas
Eumenidum cerno tortosque agitarier angues;
Et matronali frontem velata rubore
Aversor diram effigiem saxumque tyranni.

(1) Vide Taciti Annales

CLEMENTIA (1)

—

CARMEN

O bona regnorum praeses, cui templa per omnem
Ausoniam, clauso bellantis limine Iani,
Caesare sub magno placidi statuere Quirites,
Tu pateram dextra profers, mortalibus aegris
Coelicolum fundens latices et amabile nectar.
Tu dea suspensas captiva in colla secures
Excutis, et nigri portam praecludis Averni.
Tu dulcem in patriam revocas quem barbara tellus
Et mare nubiferum tectis natalibus arcet.
Ecce miser dura constrictus membra catena
Nocte sub horrenda septus feralibus umbris
Coniugis amplexum fidae natosque relictos
Ingemit, et caram quaerit per somnia matrem.
Protinus advolitans niveis placidissima pennis
Ferratos reseras postes, vinclisque solutum
Ducis in antiquos, mutata sorte, penates.
O nimium flecti facilis, lacrymisque precantum
Credula, qui toties fictae sub nomine pacis
Ingeminant sine fine dolos, et caeca retexunt
Crimina per tenebras, quantum formosior esses

(1) Amabilem deam Imperatoribus comitem antiqua numismata ostendunt Haec statua praecellens fortasse in Palatino colebatur.

Utiliorque bonis Themidi coniuncta severae,
Praesidio Themidis monitisque virilibus utens!
Ut viridi nutrita solo prope flumen amoenum
Luxuriante coma ramisque ingentibus arbor,
Si ferro agricolae sterili viduetur honore,
Et gelidum tegmen deponat inutilis umbrae,
Vere novo flores, autumno mitia poma
Proferet uberior campo votisque coloni,
Sic tu Iustitiam non aspernata sodalem
Parcius, at melius, populo tua dona merenti
Ordine distribues. Forsan suspensa requiras
Quo sit diva loco? Non coetibus illa clientum
It medio stipata Foro; non tecta frequentat
Aurea servilis plausu resonantia turbae,
Sed vultus deiecta graves, incompta capillos,
Ingreditur sapientum arcem, fruiturque piorum
Alloquiis, ubi prisca fides, ubi candida veri
Apparet facies; monstrat gemebunda iacentes
In gremio lances, et sancta volumina legum
Fraudibus irrisa, aut ferro violata potenti,
Flet libertatem scelerum, flet tristia bella,
Caedibus eversas urbes, et vindice poena
Deiectos reges, quos raro invenit amicos.

P. SYLLA

EPIGRAMMA

I.

Cives hunc lapidem cavete; Sylla est,
Qui tantum patriae cruoris hausit.
Vultum si bene cernitis, videtur
Ira turbidus, incitus furore
Adhuc purpureis micare guttis.

EVRIPIDES (1)

II.

Quam bene divinae menti respondet imago
  Haec tua, rex tragici carminis Euripide!
Ardua frons, grandesque micant in corpore nervi,
  Mascula dircaeum pectora numen habent.
Talem cecropio vidit dare iura theatro
  Amplexa ingenti Graecia te fremitu.
Aeschylus abreptam torva sibi fronte coronam
  Flebat, Orestaeas voce vocans Furias:
At tibi mel purum Charites, tibi serta rosarum
  Fundebat pleno Pieris alma sinu;
Te communis amor patria super arce locabat
  Spirantem celebri marmore semideum.

(1) Quoties mihi iste Euripides per silentia noctis lunae radiis fulgens ac spiranti similis profuit in condendis versibus! Intuere tragicum poetam, intuere proximum huic Demosthenem, et frigidus abi, si potes.

DEMOSTHENES (1)

ET

POETA

—

III.

P. Cur eadem est lapidi quae vivum accenderat ira
Quum plebs obstreperet garrula Cecropidum?

D. Quod patriam oblita est, nec graium neve latinum
Sed loquitur pubes itala barbaricum.

(1) Obiurgare videtur Athenienses. Utinam hoc aevo increpet oblivia atque inertiam in studio graecae ac latinae eloquentiae!

M. ANTONIVS

IV.

At tu, pernicies Romae, quid deseris umbras
  Antoni? populos ad nova bella vocas?
Linque auras italas, nostroque abscondere coelo;
  Merge caput barathro quo Catilina sedet.

AMAZON (1)

—

V.

Saucia non vili sum dextra. In marmore scribe:
Reginam Theseus perculit Hippolyten.

(1) Severa vetustate insignis.

FABVLA ALCESTES

IN LAPIDE SEPVLCRALI SCVLPTA

—

VI.

Alcesten cari subeuntem fata mariti,
  Herculeum robur, tartareumque Iovem,
Et reducem ex umbris pallentibus heroinam,
  Quae stupet Admeto consociata suo,
Admiror, dicoque: Haec est pulcherrima laudum,
  Exemplar fidi sculpere coniugii.
Hinc bene morati iuvenes, hinc discite nuptae
  Fortia quae monstrat facta pudicus amor.

(1) Lapis non arte sed ingenio et sapientia laudandus in superiore parte inscriptus est C. Iun. Evodo et Mitiliae Acti Coniugi sanctissimae. In ambulacro Pii VII.

T FRAGMEN SCVLPTVRAE (1)

EX PARTHENONE

—

VII.

Partem phidiaci vides laboris
Qui templo stetit aureo Minervae,
Equestres iuvenum micare ludos
Vivo e marmore, nobilemque pompam
Ductam fervere Cecropis per urbem.
Pars longe melior iacet superbum
Congesta ad Tamesim. Potens britannus
Armorum sibi iure vindicavit
Hellados monumenta, quae recondit
Densis insula nubibus sepulta
Et longo oceani remota tractu.
Quanto rectius artibus pelasgis
Consultum foret, artibusque nostris,
Si possent italam videre lucem,
Si darent cumulos beatiores
Thesauris quibus alta Roma pollet !

(1) Opus Phidiae asservatur in Museo londinensi. Hoc fragmen in ambulacro Musei Pii VII.

AVGVSTVS IUVENIS [1]

—

VIII.

Aspice ut Augustum frons exprimit; ut micat acre
Ingenium iuvenis consiliique vigor.
Iam patris ultor adest, iam volvit mente Philippos
Libera iam Romae subdere colla parat;
Arma inter stragemque ferox, post civica bella
Magnanimus princeps et pater imperii.
Omnia portendit vultus: lapis ipse nitenti
Purior et gemma est et nive candidior.
Salve auspex vatum! Sacra haec tibi limina Caesar;
Haec habita; hic Musae te statuere deum.

(1) Caput formosissimum in tabula marmorea positum

TIBERIVS IUVENIS (1)

IX.

Cinge caput lauro, maiestatemque propinqui
Augusti simula. Non est tibi romula virtus,
Non decus imperii. Lascivia mollis et exfrons,
Crudelis timor, et praerepti caede nepotes
Regales fastus heroaque marmora turpant.
Quam melius, ferro abiecto, positaque corona,
Seiano fultus, non inter signa virorum
Nobilium, comitem imbellem execrata, sedēres
Mollibus aut Capreis aut Misenensibus hortis !

(1) Grandis pulcraque statua Veiis reperta, ut supra diximus in Antonia

CATO (1)

—

X.

Ferrea libertas, ira implacata Catonis
 Emicat in rigido viva supercilio.
Abstinuit gladio sculptor, ne caede superba
 Offensi avertant lumina Romulidae

(2) Prostat non longe a Mario

C. MARIVS

—

XI.

Quid me saeve Mari torvum aspicis? Haud ego Cimber
  Coniiciens trepida tela inimica manu:
Nec tua me facies, verum impia secula terrent,
  Quae Syllas iterum, quae generant Marios.

DE EODEM MARIO (1)

—

ELEGIA

Ite procul miseras bello qui perditis urbes
  Impia civilis cum rapit arma furor,
Quos iuvat insontes inopino absumere ferro,
  Et placidos tristi spargere caede lares.
Me Pietas primis florentem nutrit ab annis;
  Uranie sancto me tenet alma sinu,
Pellit et ultrices, quae conscia pectora vulgi
  Sollicitant atris anguibus, Eumenidas.
Vera loquor. Rapti in caedem et sua damna feroces
  Instabant ferrum stringere Romulidae.
Ipse infelicis patriae crudelia vitans
  Funera, qua densis conditus arboribus
Rauca fluens Anio tiberinas fertur in undas,
  Quaerebam natis hospita tecta meis.
Roscida iam sero fulgebat vespere luna
  Vix dubiam praebens per loca sola viam:

(1) Fabulam teximus quae seculi nostri discordias ac bella significat, umbram C. Marii visam prope Anienem, ubi ferocis viri sepulcrum extitit. Sic Lucanus monstra depinxit quae civilia bella praecessere.

» Tollentemque caput gelidas Anienis ad undas
« Agricolae fracto Marium videre sepulcro.

Ecce autem tumuli squalentibus horrida saxis
  Umbra viri magno surgere cum fremitu
Visa mihi: tremulam fundebat ahenea lucem
  Cassis, et ingenti lancea stricta manu.
Utque solet rapido propelli turbine nimbus,
  Huc illuc sese per vada circumagens
Me super attonitum simulacraque dira timentem
  Clamabat torvis flammea luminibus:
Quas fugis ignave in latebras, dum praelia Mavors
  Ad prisca imbellem suscitat Ausoniam?
Non pudet abiectum cithara torpere? Neque audis
  Quantus tarpeia clamor ab arce sonet?
At studia haec ingrata et inertes spernere Musas
  Suetus ego Cimbrorum agmina terrificis
Cladibus urgebam, atque hostili sanguine mixtam
  Potabam galea pulverulentus aquam.
Scit libycum robur; scis tu metuende Iugurtha,
  Quem vinclis duro et carcere perdomui.
Nec me Sylla atrox vicit, nec libera colla
  Flexi ego; Minturni vel malefida palus
Me tegeret, simili stratum vel sorte ruinis
  Carthago aspiceret stare superba suis.
Veni ultor, veni; Syllam dare terga cöegi:
  Accepit nostrum Roma subacta iugum.
Ille nihil de me potuit nisi triste sepulcrum
  Diruere, et sparsos in fluvium cineres
Proiicere incensus rabie, occisisque meorum
  Corporibus caeca longum inhiare siti.
At tu cui nulla est pugnandi nota voluptas,
  Nullus amor caedis mollia corda tenet,
I propere, et Marii caveas accumbere busto,
  Frangere vel blando carmine fortem animam.

Haec ait impatiens irae: pernicibus alis
  Abstulerat longe pignora cara metus.
Acrior irruere atque hastam protendere imago
  Collustrans crebris aëra fulguribus:
Cum matutino Veneris formosior astro (1)
  Advolat in rosea candida nube dea;
Quae mihi caeruleo praetendens tegmen amictu
  Perfusum ambrosiae mulcet odore caput;
At lemurem indignantem oculis et voce coercet
  Talia coelesti verba locuta sono:
Nam quid stulte meos nequidquam incessis amicos?
  Quid gaudes stygios deseruisse lacus?
An saevi manes imo venistis Averno
  Ut scelerum poenas impia secla luant?
Ferte faces alio, ferte arma horrenda per omnem
  Europam; aggestis addite membra rogis;
At sinite innocuas animas, neu tangite vatem
  Cui dedimus castam numina sancta lyram.
Vix ea, nocturnas evanuit umbra per auras
  Territa; ceu nigris sub specubus latitans
Turba fugit volucrum, radiis orientibus ut mons
  Pingitur, et nemorum culmina summa rubent.
At dea pallidulum violae dedit ore colorem;
  Intremuitque udis lucida gutta genis.
O mihi care, inquit, tenero de flore iuventae,
  Si quidquam nostro dulce in amore fuit,
Moenibus infidis placidam praeferre quietem
  Ne dubita, et caecis abdere te scopulis.
Nulla super regio est, tyrrheno a litore ad oras
  Extremi boreae sarmaticumque gelu,

(1) Sapientia ferociam vesaniamque repellens.

Ferrea quo sese non insinuarit Erinnys:
Sed tibi ego aetherio lumine purpureas
Ostendam sedes, et regna negata profanis,
Quo nisi mortales non licet ire pios.
Qualis per montes errans peregrinus opacos
Fert gressum horrisonis quercubus implicitum,
Nec dubios flexus potis est evadere, donec
Arripuit celsi lubrica saxa iugi;
Hinc longe campos prospectat et oppida, fessum
Gestit ubi certa ponere in aede latus;
Talis ego, nebula circum fugiente, videbar
Insuetum puro cernere sole diem.
Non deformis ager, non turbida fluminis unda,
Vere sed aeterno laeta rubebat humus.
Tum fons perpetuos interlabens amaranthos
Spargebat plures se vagus in latices.
Silva erat et platanis et odora frondea lauro,
Quam super aligeris ludere cum zephyris
Audires avium strepitus, totumque deorum
Vocibus ignotis concinuisse nemus.
Fida comes centum monstrabat ab aggere vates
Ire leves alios margine florifero,
Et iuvenum blando passim certare susurro,
Vel de puniceis necte re serta rosis;
Incessu graviore alios multaque comantes
Canitie tardos agglomerare choros.
Ille, ait, ardenti qui suspicit aethera vultu, (1)
Quique omnes cantu tam facile exsuperat
Quantum aquila in nubem celeres rapit alta volatus,
Dux fuit italici maximus eloquii.

(1) Dantes Aligherius.

Mente ausus lustrare Erebum, dein proxima Coelo
  Regna, caput stellis arduus inseruit.
Ipsa ego transvectum pennis mirabar; at illi
  Insolitum maior diva parabat iter. (1)
Hunc tamen et scelerata odia et vesana tyranni
  Libertas, cives hunc pepulere sui
Lugentem dulces natos et quidquid acerbum
  Est mage dilecta linquere cum patria.
At vos fortunae flectit levis aura, nec imo
  Tollitis heu miseri pectora fixa solo!
Vertit ad haec lentos oculos nutuque probavit
  Umbra deam. Sed me lux nova fulmineo (2)
Perculit aspectu; lapsus vigor; omnia volvi
  Turbine et obscuras corruere in nebulas.
Vix bene cognovi redeuntem ad sidera divam;
  Talia magnanimi lumina vatis erant!
Undique inhorrebant tenebrae; camposque silentes
  Mulcebat media languida nocte quies.

(1) Beatrix
(2) Umbra Dantis

HERCVLES

PVERVM AIACEM SINV GERENS (1)

—

EPIGRAMMA

I.

Alma Thetis puerum Chironi tradit Achillem:
Aiacem Alcidae dat puerum Telamon:
Illum silvosis abscondit Pelion umbris;
Hunc tenet angusto regia clausa mari. (2)
Ambos ad Troiam bellantes evehit, ambos
Aeternat sacro carmine Maeonides.

(1) Alii dicunt Telephum.
(2) Insula Salamin, ubi regia Telamonis amici Herculis.

HERCVLES TRVNCVS (1)

AD

IVNONEM.

II.

Hic iaceo quod me ruptis dea saeva lacertis
Et capite et trunco poplite stare iubes.
Surgentem Alciden et fortia facta videbis,
Membra quibus careo si mihi restituas.

(1) De sublimi hoc fragmento, cuius auctor Apollonius Atheniensis (nomen in basi est) ita canebat Augustinus Favoritus, saeculi decimi septimi scriptor in carmine quod legimus ad Cleopatrae latus exsculptum.

Hunc tamen informem licet et sine nomine truncum
Miratum huc Ararim veniunt Rhenumque bibentes »

Ante monumentum P. C. Scipionis Barbati sedet: E Pompeiani theatri ruinis emersit.

CORNELIVS LVCIVS SCIPIO

BARBATVS (1)

—

III.

Fortibus est decori virtus. Non mole superba
Glorior antiquus Scipiadum genitor,
Sed lapide albano, et factis, quae scripta sepulcro
Romanos animos priscaque bella docent.

Inscriptio quae legitur in P. Cornelii Scipionis monumento haec est.

CORNELIVS . LVCIVS . SCIPIO . BARBATVS . GNAIVOD
PATRE . PROGNATVS . FORTIS . VIR . SAPIENSQVE - QVOIVS
FORMA . VIRTVTEI . PARISVMA . FVIT . CONSOL . CENSOR
AIDILIS . QVEI . FVIT . APVD . VOS . TAVRASIA
CISAVNA . SAMNIO . CEPIT . SVBIGIT . OMNE . LOVCANA
OPSIDESQVE . ABDOVCIT

(1) In vestibulo Mus. Pii-Clementini.

MELEAGER (1)

—

IV.

Quid mirum, Oenide, si te formosa Atalanta
  Arserit? Eximius fulget in ore decor,
Qualis inest divûm signis. Calydonia cessit
  Palma tibi: trahitur pulvere victus aper.
Tu Nonacrinam spectas. Quam pulcrior esset
  Hic etiam caro iuncta puella viro!

(1) In vestibulo Musei Pii VI.

APOLLO (1)

ODE

Dive, quem magni soboles Quirini
Poscimus cantu, placidum deorum
Limen et sanctis habitata Musis
Rura tuentem,
Temperes arcum licet, et beatae
Immemor Cirrhae viridisque Pindi
Turbidum quiddam mediteris acri
Fervidus ira,
Lesbiae gaudes numeris puellae
Pythius dici, tibi nigra quando
Terga demisit moriens cruento
Vulnere Python.
Pestis inferni metuenda Ditis,
Cui ferox Iuno dederat volandi
Impetum et torvae triplices Chimerae
Gutture flammas,

(1) Arcitenens, labor eximius graeci artificis, cui solus par venustate formae Apollo quem Florentia possidet. Multa de illo scriptores Artium optimarum. In porticu eminet cum Laocoonte, Antinoo, et Perseo

Sensit auratae sonitum pharetrae
Victa dircaei nemoris sub antro,
Quo tibi centum statuit iuventus
Delphica ludos.
Virginum seu te choreis amicum
Nutriit ridens gremio Dione,
Sive Lysippi labor esse mavis,
Vel Polycleti,
Dulce Neptuno tacitisque Nymphis
Antium et molles placuere ripae,
Hospes Augusti deus ut teneres
Caesaris aulam.
Unde te vasta positum ruina
Molis antiquae latebrisque mersum
Iulius flavi Tiberis propinquas (1)
Duxit ad undas.
Nullus intonsum caput et micantem
Corporis vivi speciem notarat
Squalor, aut pulcram clamydem vel imos
Laeserat ungues.
Iamque mutatis laribus, pelasgûm
Undique heroum redimita signis
Tecta collustrans, medius sereno
Colle nitebas.
Protinus toto volucris sagittae
Murmur auditum resonare luco, et
Aureos cervix agitans capillos.
Visa moveri,

(1) Iulius II. hoc simulacrum a Caesareis Antii ruderibus effossum ad hortos vaticanos transtulit.

Vt semel Troiae miserandus augur
  Ante conspectum stetit, et revincti
  Parva serpentum iuvenes ab îsdem
          Brachia nodis.
Hercules trunco propior lacerto
  Sedit, ac telo Meleager audax,
  Torva quem iuxta capitis ferini
          Horret imago.
Heu nefas! Heu quid melius latinae [1]
  Barbarus genti rapuisset hostis,
  Gallicus cum te furor ad remotas
          Impulit Alpes,
Thessalo qualem memorant Olympo
  Exulem fugisse metu tremendi
  Fulminis lauro niveae tegentem
          Lumina frontis?
Flevit e concha timidum marina
  Verticem tollens Venus, et superbi
  Militis vultus iterumque diros
          Palluit enses.
At ferox crinem galea premebat
  Cincta pallenti Iove nata nimbo,
  Sola quae fulgur rigidaeque torquet
          Ora Medusae.
Sequanam supra Rhodanumque Mavors [2]
  Laevus obscura sonuit quadriga, et
  Miscuit bello populos, Quiritum
          Maximus ultor.

(1) Apollinem nostrum cum optimis sculpturae picturaeque operibus Parisios advectum vidimus, deinde Museo Vaticano redditum.

(2) Bella gallica innuimus, poetico more diis ipsis Musei contra raptores pugnantibus

Tu manu frangens inimica primus
  Vincla tyrrhenum placidus per aequor
  Laberis: denso redeunt volantes
      Agmine divi.
Te sine aeternum cecidisset Urbis
  Prisca maiestas, iterumque pulsis
  Artibus tristi propiora ferro
      Secla redirent.
O potens certo iaculator arcu
  Mitte Titanas Niobesve prolem;
  Mitte luctantes agitare saeva
      Caede dracones.
Aureis mecum fidibus canorum
  Barbitem tangas. Per aprica montis
  Ecce sub lunam properant choreas
      Iungere Musae.

T k

LAOCOON (1)

—

EPIGRAMMA

I.

Verus es, et natos inter religata draconum
  Nexibus intorques brachia Laocoon.
Ut patrius micat ore dolor! Spirare supremum
  Pectore anhelanti sentio te gemitum.
Corpora parva tremunt horrendo saucia morsu:
  Heu frustra palmas tendit uterque puer!
At mî animus refugit: variis ego sensibus anceps
  Differor: hinc terror me premit, hinc pietas:
Nec tamen avelli possum: mens omnis in uno
  Stat visu; et lacrymis lumina fixa madent.

(1) Pauca de signo tam celebri. Quis enim audeat post divinam Virgilii descriptionem in secundo Aeneidos aliud tentare ingenio ac stilo ? Sadoletus acer et perpolitus scriptor, non parum laboris adhibuit quum Laocoontem in thermis Titi suo tempore inventum cecinit. Artifices signi Agesander, Polidorus, Athenodorus.

ANTINOVS (1)

SEV

ATLETA

—

EPIGRAMMA

II.

Sum pugil; haec testis mihi palma. Ignobile nomen
Aufer, et imbellis dedecus Antinoi.
Non me servitio torpentem Caesaris aula
Ad molles puerum nutriit illecebras.
Sparta mihi patria est, spartanum corpus: Adonin
Mascula Pollucis non decet effigies.
Me pulvis, me dura iuvant certamina. Saxo
Scribe: Lacon pugnae victor olympiacae.

(1) Vetus at falsum nomen Antinous, recens Mercurius. Veriore titulo dices Atletam, si palmae truncum animadvertas prope statuam pario marmore nobilem, aetate Paulì tertii repertam in Exquilino.

PERSEVS ET PVGILES

OPVS CANOVAE

—

III.

O Venetum lumen, civis romane, Canova,
Antiquos inter lapides tua signa probantur;
Et merito; neque enim te fugit graeca venustas
Robur et artificum quos aurea protulit aetas.
En tuus hic Perseus levat ora tremenda Medusae
Ostendens niveo spirantem corpore formam.
Surgunt elaei pugiles duo: iunior ille
Deposuit caestus Greugas, capitique superbo (1)
Brachia contorquens mortalem firmus ad ictum
Praebet inerme latus: periura Damoxenus arma
Stringit adhuc religata manu, quae foedere pacto
Solvere debuerat, mergitque in viscera dextram.
Indicat immanes animos rabiemque ferocem
Fronte senex torva. Si longius ire liceret
Ut forti ingenio, sociae sic viribus artis,
Et lapides cumulare novos, divine magister,
Elida monstrares iustas consurgere in iras;
Crudelem patria tellure Damoxena pulsum
In montes fugere et caecis latitare cavernis;
At iuveni extincto signum victrice corona
Erectum, et positis placatam altaribus umbram.

(1) Greugantem pugilem a Damoxeno fraude interceptum occisumque narrat Puusanias in Arcadia. Haec tria marmora insignem Canovae laudem peperere. Perseus venustate formae, duo pugiles (praesertim Greugas) fortitudine luctae notandi.

CLEOPATRA (1)

—

IV.

Saxea sim quamvis, testabar voce dolorem
Cum vates cantu me pius alliceret.
Nunc linguae vis illa tacet. Mihi lumina somnus
Iampridem miserae ferreus urget. Abi.

(1) Verius Ariadna; sed Castilioni, poetae eximio saec. decimi sext. placuit cretensem puellam vertere in Aegypti reginam. Hinc de Cleopatra altius carmen, quod parum antiquis invidet.

Marmore quisquis in hoc saevis admorsa colubris
Brachia, et aeterna torpentia lumina nocte
Aspicis etc.

In fronte est Aulae Piae-Clementinae, ubi Posidippus et Menander.

CVPIDO PRAXITELIS (1)

PHRYNE, PRAXITELES

—

V.

Phr. Quae tibi prae cunctis pulcherrima ridet imago,
Hanc volo. Da nostri pignus amoris
Pra. Habe.
Phr. Tu iudex; dic quae potior
Pra. Venus Aphrodite
Pulcrior est; vultus exhibet illa tuos.
Phr. Hei mihi! Praxitele, vicina incendia surgunt:
Accedit laribus flamma inimica tuis.
Pra. Heu heu! Ne pereat saltem meus ille Cupido.
Phr. Ergo pulcrior hic?
Pra. Subdola, iam tuus est

(2) Celeberrimum artis exemplar. locus Phrynes, quem describimus, nemini ignotus.

DANAIS (1)

—

VI.

Fabula non vana est Danais, quae vindice poena
  Nequidquam stygiis dolia mergit aquis.
Significat cupidos sapientia graeca tyrannos,
  Qui fraude ac ferro sceptra aliena petunt.
Praeda fugit manibus;sed praedae aeterna cupido est;
  Inque novas artes itque reditque furor.

(1) Danai filia urnam manibus tenens. Quae sequuntur statuae in conclavi Cleopatrae locum habent usque ad Venerem et Adonidem; pars optima e centum operibus.

PENELOPE (1)

VII.

Quid fles Penelope? faciem mentitus Ulysses,
Nescis? auxilio Palladis ultor adest.
Tu gemis extinctum; celeres iacit ille sagittas,
Fidaque in adversos induit arma procos.
Iam tibi se reddet stillantem caede peracta,
Amplexu et longas discutiet lacrymas.

(1) Graeca imago sortem Ulyssis meditari videtur.

APOLLO SAVROCTONVS (1)

VIII.

Quidquid mente potens concipit artifex
Componunt digito virgine Gratiae.
Aut saxo aut tabula reddat imaginem,
Dant vitam Charites, dant operi decus.
Parvum Praxiteles monstrat Apollinem
Gaudentem iaculis figere primulis
Reptantem viridem sepibus abditum.
Latona genitus crescit in insula
Delo, ceu tenero cespite germinans
Myrtus vere novo floribus albicat.
Illum si videas marmore in altero, (2)
Miraris iuvenem viribus integris,
Coelesti specie, tela sonantia
Gestantem pharetra, vel petit horridas
Turmas anguipedum montibus arduis
Scandentes superum regna, vel impiae
Affigit Niobes progeniem solo.
Quaeris purpureo numen in aethere
Portantem populis auricomum iubar?
Surgebat Charitum pictor amabilis, (3)

(1) Lacertae occisor. Quanta suavitas in puerili ludo expressa! Opus est Praxitelis in Palatini ruinis inventum an. MDCCLXXVII.
(2) Apollinem Antiatem, de quo ode sapphica.
(3) Guido Renius bononiensis Apollinem solem divina arte pinxit Romae in aedibus Rospiliosiis. Detur mihi venia si parum divertor a lapide pulcherrimo ad pulcherrimam picturam.

Quem de turrigero vertice Felsinae
Cives romulei traximus hospitem.
Hic mixtis varia luce coloribus
Auroram croceo lumine splendidam
Expressit violas canaque lilia
Spargentem manibus, tum celeres rotas,
Maioremque deum fraena volantibus
Dantem quadriugis, quem preit Hesperus
Pennis caeruleis excutiens facem.
Mortales oculi nubiferam super
Tellurem et pelagi frigida marmora
Cernunt implicitis ludere dexteris
Horas, quae volucrem distribuunt diem,
Sublatas zephyri flamine candido.
Sed me praevolitans spiritus ingeni
In diversa tulit. Dum loquor, ultimi
Conduntur radii. Vultus Apollinis
Nuper fulgidula vividior rosa
Obductus nebulae tegmine palluit.

POSIDIPPVS ET MENANDER (1)

—

IX.

Quis mihi tam subito mentem novus incitat ardor?
Quo rapitis Musae? Veteres contemplor Athenas.
Panditur ingentis pulcherrima scena theatri.
Hic gravis apparet sella Posidippus in alta,
Illic iucundo nardi perfusus odore
Implicitusque comam populari fronde Menander.
Cecropidum video properare volubile vulgus
In caveam, rapido sparsae ceu turbine frondes
Pervolitant nemore in magno, cum saeva remugit
Vis boreae, subitusve ruit de montibus imber.
Purpureas inter violas formosa puella
Ambulat ante choros, trepidumque fatetur amorem
Ingenuo inveni tacitis coniuncta hymenaeis.
Conclamant cives: O pulcra Perinthia, melle (2)
Dulcior hybleo, salve! Facunde Menander
Filius es Charitum, salve! Sparguntque recentes
In scenam myrtos. Non ergo pauper oberrat
Veste carens Sophie. Colitur divina Poesis;

(1) Graecae comoediae principes ad salutandas Musas invitant. Reperti in ruderibus Viminalis Sixti V. villam tenuere: a Pio IV. melius heic in basi conspicua positi sunt custodes loci

(2) Menander fecit Andriam et Perinthiam-Terentius in Andria

Optima scripta vigent; donatur honore coronae
Qui decus ingenio meruit. Malecauta iuventus
Respue fallaces nugas; venerare magistros
Italiae Graios.....Heu somnia vana! Recessit
Dulce oculis visum. Posidippe, Menander, utrique
Marmorei simulacra inter taciturna sedetis.
Regnat ubique sopor; blandam philomela querelam
Vicina canit in silva, nostroque dolori
Fit comes, et miseri repetit suspiria vatis.

ISIS

X.

Dulce mihi ridens Isis fragrante labello
  Hae ait: Aegypti me pudet esse deam.
Quid flos hic loti solitus mihi pingere frontem,
  Quid sonitu rauco barbara sistra iuvant?
Da graecam citharam, da Pindi laurea serta;
  Mutato dicar nomine Terpsichore.

M. TVLLIVS CICERO (1)

PROPE AVGVSTVM

—

XI.

Maximus orator, sacram cui Fulvia linguam
  Transfixit diro sanguinolenta ioco,
Erigitur volvens flammantia lumina circum.
  Murmure semideûm porticus alta tremit.
Deiicit Augustus faciem, desertor amici
  Qui fuit, et decoris proditor ipse sui.
Roma ferox, memorans civilia bella, perempti
  Consulis ante pedes tacta dolore iacet.

(1) Rarum caput Tibure effossum.

CARACALLA IMPERATOR (1)

—

XII.

Trux oculorum acies, frons turbida, labra superbam
  Constricta in rabiem, crispa brevisque coma:
Agnosco monstrum; proles Caracalla Severi est,
  Romanus Caesar nomine barbarico.
Impius ense ferox ipsa inter brachia matris
  Occidit fratrem. Spirat ab ore scelus.

(1) Dici de illo potest quod Cicero de Verre—Toto ex ore crudelitas eminebat.

AIAX (1)

—

XIII.

Defensor Patrocli convertit in Hectora frontem
  Aiax. En vultus ira dolorque movent.
Vox horrenda viri, quam fervidus hausit Homerus,
  Heic inter mutos conticuit lapides;
In campis Asiae, pugnans ubi constitit heros,
  Tollitur, et vasto concitat arma sono. (2)

(1) Sunt qui Menelaum appellant: sed Aiax, heros ab Achille secundus, dignior est marmore

(2) Scripsi an. MDCCCLXVII. quum Asia bellis tumesceret.

SCIPIO AFRICANVS (1)

—

XIV.

Maxime Scipiadum, trepidae spes unica Romae,
Cui fera Carthago moenia victa dedit,
Te-ne ducem invictum patria procul urbe iacentem
Condidit obscuro pulvis et alga solo?
Laudibus e tantis, tam claro e fulmine belli
Vix parvum cives restituere caput?
Hannibal hoc cernens cum risu clamat amaro:
En qui me invitum traxit ab Italia.
Egregia haec habeat romanus praemia victor:
Non aegre patiar dedecus ipse meum.

(1) Notandus romanorum princeps heros. Caput opere egregio super tabula marmorea positum.

VENVS ANADIOMENE

—

XV.

Pulcrum pulcra Venus petens amantem
Concha prosiluit super marina.
Colludunt zephyri, siletque pontus.
Mollem Cyprin Adonidi relinquo,
Caram foemineae deam iuventae.
Alter dixerit auream, decoram,
Stringentem ambrosios manu capillos.
Me nec Virgilius meus probaret,
Nec ferrent Heliconides pudicae,
Si vellem teneris iocis amorum
Fortis ingenii ligare pennas.
Ad cantus propero severiores.

ADONIS (1)

—

XVI.

Formosus iaculum gerens Adonis
Surgit candidior nitente gemma.
Nondum saevus aper latus momordit.
Rosam dixeris imbribus benignis
Disclusam et placidi tepore veris,
Cui non improba vis furentis austri
Caput cespite languidum reflexit,
Nec sol abstulit igneus colorem.

(1) Pari forma sunt duae statuae Adonidis et Veneris in parvo conclavi Pio-Clementino, Musivo, et recenti pictura illustri, veluti duo gemmae artis locatae.

IN AVLA MVSARVM

MVSAE ET POETA

—

XVII.

Mus. Limina sacra patent. Non est hic fabula Pindus;
Non hic vana sumus numina Pierides.
Fugisti vulgus? Pulcras amplecteris artes?
Libera pauperies, integra vita placet?
Poe. Vester ego, Musae, nil praeter carmina quaero,
Execror indecores ambitionis opes.
Mus. Cinge caput lauro: priscis te vatibus aude
Iungere. Virgilii sit comes umbra. Veni.

DIOGENES ET POETA (1)

—

SATYRA

Poe. Heus cynice, existi latebris? Haec regia sedes
Cara tibi?
Dio. Cippo me fixum conspicis: odi
Lucem importunam
Poe. Dicas ignobile vulgus
Tot celebres animas?
Dio. Pars maior fabula: reges,
Semidei, vates, oratoresque, sophique
Turba sumus. Ferro prosterne, aut obrue terra,
Quae nos condiderat, per me licet
Poe. Improbe, semper
Oblatras
Dio. Saltem contra me pone Bianta,
Vel Zenona meum, vel amici Antisthenis ora:
Tolle hunc Silenum. Stringit deus ebrius uvas;
Nudam ego protendens palmam de fonte bibebam.
Poe. Irridet cynicos
Dio. Imo te, stulte poeta,
Qui lapidem adversus garris
Poe. Monumenta vetusta
Concelebro liber iudex
Dio. Nocturnus oberras;

(1) Herma Diogenem exprimens ita vere ut nil supra, in aula Musarum prope statuam Sileni. Dialogus mores hujus aetatis arguit.

Totus es in nugis; umbram tete inseris umbris.
Cui labor hic?

Poe. Famae

Dio. Non es ridendus ineptae
Sectator famae? Regina pecunia cives
In transversa rapit: censu qui paupere vivit,
Sit Plato, sit Lysias, divino certet Homero,
Spernitur: ad choreas et equos convertitur aurum.
I, pete subsidium ingenio, studiisque favorem:
Divitibus torpent animi, torpetque crumena
Largior astutis assentatoribus. Olim
Magnus Alexander laeta me fronte rogabat
Quid vellem de se. Tolle umbram; da mihi puro
Sole frui, respondebam liberrimus. Alter
Regis adulator plures cumulare philippos (2)
Versibus incultis potuit. Periander amicis
Lauta ministrabat doctis convivia. Dic tu
Quis procerum vel adire sophos, vel tendere dextram
Dignetur facilem Musis. Ego nescio; tantum
Divinor quo se vertant haec saecula fato.

Poe. Tangis acu. Ingratos animos auresque sinistras
Iamdudum patimur..... Sed erit felicior aetas
Postera; sed nostrae vincent oblivia chartae.
Haec spes me lactat

Dio. Nempe ut laudere sepultus
Tabescis vivens? Docta haec insania multos
Decepit. Cur non potius mercaris agellum?
Et dulce et salubre est valido exercere ligone
Brachia cum natis et coniuge sole perusta,

(2) De Chaerilo vide Horatium-Gratus Alexandro magno regi fuit ille-Chaerilus etc.

Cui sit cura coquendi oleris mensaeque parandae;
Vertere tellurem, defessaque membra sub alta
Ilice vel pinu tranquillo ponere somno.
Poe. Quas mihi delicias pingis! quae gaudia campi,
Speluncae sylvaeque darent!
Dio. Aut vive beatae
Libertatis .amans, qualem me pristina secla
Viderunt herbas pura detergere in unda,
Aut, si te studium lucri, si fervida tentat
Ambitio laudis, pete Gallos atque Britannos,
Quaere alibi patriam
Poe. Satis est mihi gleba lapisque
In gremio Romae
Dio. Dum te iucundus habet sol
Auraque coelestis, leviorem suscipe curam;
Verte animum ad satyras
Poe. In dedaleum labyrinthum
Ingrederer; nec, quo regerem vestigia, filum
(1) Pulcra Ariadna daret. Cerno Automedonta superbum
Praetereunte rota pavidum disperdere vulgus.
Hunc ego si feriam versu, respondeat alto
Iratus feriens mihi vultum ac terga flagello.
Lumina mille fugant per vasta palatia noctem;
Discumbunt avidi nebulones divite mensa:
It matrona nitens gemmis, ceu regia Iuno,
Et formosa puella simul, pictosque tapetas
Cyclade praelonga verrit, male cauta pudoris
Et decoris custos. Ride, vel tange capillum,
Iracunda tumens ultores iactat amantes.

(1) Haec argumenta satyrae inertes tantum et degeneres potentiores feriunt: bonorum aestimationem laudesque imminuere nefas puto.

Virtutem heroum novi. Furibundus Atrides
Coniuge pro rapta movit fatalia bella.
Ecce ruit magno clamore caterva forensis
Astreae minitans iras calidumque tribunal
Si violare ausim iuris legumque peritos.
Nolo stridentes vespas incessere fumo
Ne pungar; nolo saxum iactare molossis
Ne me discerpant

Dio. Iaculis incede timendus
Archilochi, geminans ictus impune

Poe. Velut tu,
Qui, cum prodiret pleno conferta theatro,
Pulsare audebas adverso pectore turbam.

Dio. Fortis in hoc semper

Poe. Temerarius atque protervus.
Non hoc Roma ferat; non hoc ferat itala tellus.
Malo verecunda me ostendere fronte. Valeto.

MILTIADES

EPIGRAMMA

I.

Miltiade infelix, animae sub nocte volantes
  Te circum horrendo prosiliunt fremitu.
Purpureae nutant galeato in vertice cristae;
  Dant lucem gladii fulminibus similem.
Cecropii iuvenes, sumptis qui fortiter armis
  Te duce cum persis conseruere manus,
Incusant patriam immemorem, deformia vincla,
  Crudelem egregiis civibus invidiam.
Tu spectas placido victricem lumine turbam. (1)
  Sola rapit mentem, sola oculos Marathon.

(1) Imago serena est, indicatque magnitudinem animi in rebus adversis: Aulam Musarum tenet.

THEMISTOCLES

—

II.

Miltiadi nomen Marathon, salaminia pugna
Mî dedit. Ingratas ambo ploramus Athenas.
Xersem ego magnanimum laudo. Sed corde sub imo
Stat patria. In cives inimicum vertere ferrum
Flagitium est civi. Sed regi obsistere amico
Me pudet. In dubia quid restat sorte? Venenum.

SOCRATES (1)

—

III.

Sublime ingenium, vultus deformis, imago
Socratis haec. Scriptum posuerunt nomen Athenae;
Debuerant patriae communem scribere culpam.
Dicam ego quae fuerint sapienti praemia. Ferro
Straverat hostiles acies, impleverat urbem
Lumine doctrinae, lingua victrice superbos
Garrulitate sophos removens, altumque Platona
Instituens clari decus immortale Lycei.
Perfidus ecce Anytus crudeli compede vinctum
Proiicit in tenebras; et iudex Areopagus
Intemeratae animae dat pocula nigra cicutae.
Exemplum infelix! Vetus haec iniuria nullo
Desuevit seclo. Pravos ad sidera cives
Tollimus; egregios meritis in pulvere turpi
Sternimus ingrati. Virtus extincta remordet?
Sacramus lapides; et honorem reddimus umbris.

(1) Unus de praecipuis hermis socraticis prope Apollinem citharedum.

AESCHINES (1)

—

IV.

Eminet impavidum caput Aeschinis inter achivos
Eloquio insignes. Non illum fulmina terrent,
Quae iacit Antipatri regis firmissimus hostis,
Cecropidum columen libertatisque pelasgae.
Donatum vidit celebri splendere corona;
Exul abit magno victus certamine linguae;
Non tamen abiecta est securae audacia frontis.
Clamat adhuc: Stetimus contra Demosthenis arma.

(1) Orator Demosthenis aemulus qua fronte hic describitur vere emicat in herma ad latus Uraniae. Inventus fuit in ruderibus villae Cassianae apud Tibur, uti maior pars imaginum hujus aulae.

PERICLES (1)

—

V.

Quod me, Romulidae, patria rapuistis ab urbe
  Haud doleo: tellus attica nuda iacet;
Quaeque ego tollebam divûm simulacra vel aedes
  Calcavit Thracum lurida barbaries.
Palladis hoc vere templum est; hic florida vatum
  Concilia, hic priscos noscere cecropidas
Laetor; et umbra silens Prytanei pulcra vireta
  Cum sacris videor concelebrare sophis:
Hic sequor Augustum Pericles. Felicior ille
  Stare videt Romae tot monumenta suae.

(1) Secus hermam Periclis lege oden italicam Vincentii Montii
« Io de' forti Cecropidi
Dell' inclita famiglia » etc.

ASPASIA

—

VI.

Cara meo Pericli, dum stabat Graecia, coniux
  Nunquam ego sum tanto dissociata viro.
Floruimus pariter; Thesei de moenibus ambo
  Venimus in Latium: marmora iunxit Amor.

LYCVRGVS (1)

—

VII.

Ductor eram Spartae: positum dein Tibure saxum
  Me tenuit gelido Cassia villa sinu.
Romula progenies non passa iacere Lycurgum
  Ecce iterum claro dat mihi sole frui.
Vellem equidem argivas urbes et regna videre
  Quae surgunt scythico libera facta iugo:
Sed melior Tiberis. Quidquid felicibus annis
  Graeca dedit virtus, aemula Roma tenet.

(1) Statua proxima hermae Biantis

TRAGOEDIA ET COMOEDIA (1)

—

VIII.

Diva severa comam regali splendida vitta
  Euripidis grandi praecipit ore sonos.
Diva minor praecincta caput pendentibus uvis
  Gaudet Aristophanis commemorare sales.
Utraque respondet praesentis moribus aevi;
  Illa ciet fletus; inserit ista iocos.

(1) Ingentes hermae eximia pulcritudine dextra laevaque fulgent in limine conclavis rotundi, cum signis primoribus quae sequuntur usque ad bigam.

IVPITER (1)

—

IX.

Numen habet marmor: spirat mihi numinis auram
Iupiter, et placidus tranquillo ridet Olympo.
Maiestas fronti pulcherrima, tempora circum
Funditur umbra comae, lenis ceu flamine venti
Erigitur coelo nubes, et plurima vasto
Pectore barba sedet. Melior non fulsit imago
Phidiaci Iovis inachias dominata per urbes.
Non eboris pretium, non grandia membra Tonantis
Roma videt. Sacro Latii de pulvere solum
Prodiit immortale caput; super alta Quiritum
Signa micans flavi prospectat Tibridis undas
Caesareasque domos; et tanta luce superbit.

(1) Caput hoc Iovis, Phidiae manu dignissimum, repertum est in solo Coloniae Ocriculanae.

ADRIANVS ET NERVA CAESARES (1)

—

Helius est pulcher; sed vitae sordibus illum
Infamem sperno. Nullus amor lapidi.
Te Nerva admiror, cuius pulcherrima saxo
Effigies, virtus Caesare digna fuit.

(1) Adrianus prope eius mausoleum effossus; Nerva in Laterano.

HERCVLES AENEVS (1)

—

CARMEN

In lucem redeo gremio telluris opacae
Abditus Alcides. Non Ditis pallida regna
Tartareumve canem vidi, sed nigra cavernis
Saxa et funereas valida cervice ruinas
Sustinui victor. Me Pompeiana tenebat
Curia praecelsi florens splendore theatri,
Nunc seclis et barbarico deperdita ferro.
Aurea poma gero, quae quondam Atlante subacto
Hesperidum ex hortis rapui. Salvete Quirites.
Purpureus mihi sol orienti lumine sacros
Ostendit colles; spirat levis aura per umbras
Altorum nemorum et vernos diffundit odores ;
Antiqui vates, bellatoresque pelasgi
Regibus etruscis mixti ducibusque latinis
Circumstant. Video galeas squalore nigrantes, (2)
Sparsos telorum fasces et pendula scuta.
Candidior matutino supereminet astro (3)
Arcitenens: te Laocoon miserande tuosque
Amplexi natos lapide obriguere dracones ;

(1) Recens inventus in solo Curiae Pompeianae, ac munificentia Pii IX in museum translatus.

(2) In museo etrusco.

(3) In Pio-Clementino.

Saxea flet Theseum scopulis Ariadna marinis; (1)
Laodamia sui vocat umbram Protesilai;
Pierides moestas cithara solantur amantes:
Regia Pieridum est. Licet hic deponere clavam,
Et meliore domo placidam captare quietem.
Nam, fateor, cum me veteris dementia Romae
Thure vaporaret graiae genus heroinae
Sedibus adscribens superis, cumque ardua coelum
Scandere tentarent victis Capitolia terris,
Tristibus angebar curis, et plura videbam
Monstra superTiberim quam quae dedit africa tellus,
Tuque Erimanthe ferox, et torvo Hispania vultu.
Brutus inhaeret adhuc menti defixus, et alte (2)
Pendentes gladii contra tua pectora Caesar.
Infelix! non virtutis non immemor irae
Coniurata manu depellens arma ruebas
In turbam, ceu magnanimus perrumpere gaudet
Tela inimica leo; sed Bruti ora impia cernens
Umbrabas tristem lacero velamine frontem.
Fugerat attonitus discordi mente senatus;
Pallebat coelo Titan; deforme cadaver
Tectum incestabas. Fremui, populumque vocavi
Criminis ultorem. Civilia bella sequuntur.
Ecce caput Rostris pendet venerabile Tullî.
Incendunt urbem vesani iussa Neronis;
Sternuntur ferro insontes: Nil liquit inausum
Aut vulgi furor aut scelerum suprema potestas:

(1) Ariadna, falso Cleopatrae nomine, tum nobilitate operis tum carmine Castilionis notissima; Laodamia Protesilaum alloquens, graecum opus anaglyphum in pariete Musei Pii-Clementini.

(2) In Curia Pompeiana Iulius Caesar occisus. Monstra in morte Caesaris, divinum Virgilii carmen lib. II Georgicon.

Donec ab extremis emersae finibus Istri
Romuleam in caedem geticae irrupere phalanges:
Utque solet crebris percussa bipennibus ilex
Vertice nutanti tremere, et frondentia terrae
Brachia demittens vasto procumbere trunco,
Sic mole eversa, fractis spoliata columnis
Ingenti sonitu collapsa est Curia: Tibris
Prosiluit retro, et colles gemuere propinqui.
Ipse ego signorum cumulata strage sepultus
Cogebar putri cervicem ponere limo
Assuetam duros olim perferre labores.
Fugit longa dies: nova rerum apparet imago:
Nocte sub aeterna latitant vestigia Circi,
Quo Nero venalis turbae cum laude solebat (1)
Exercere rotas, et viva absumere flammis
Corpora, per tenebras sceleratae lumen arenae.
Disiectam supra caveam radiante metallo
Surgit apex templi late spectandus adusque
Tyrrhenos fluctus et nimbiferum Apenninum.
Nobile portentum! Quae lux inopina? Quis ille
Insignis triplici frontem diademate? Roma
Unanimi clamore patrem regemque salutat.
Vertice ab aetherio fulgens altissimus heros
Protendit dextram, verbisque potentibus arcet
Horrendam belli nubem, quae fulgura longe
Mittit in Europam et latias circumtonat urbes.

(1) Vide Taciti historias. Super Neronis Circo Vaticanum templum conditum est. Poetice hic depingimus augustam Pii Noni P. M. imaginem arma impia ab Urbe repellentis.

ANTONINVS PIVS

—

EPIGRAMMA

I.

Caesaribus titulos adiecit vile senatus
  Obsequium, et stulti principis ambitio.
Ille salutatur victo fortissimus orbe;
  Dicitur hic felix, et deus et dominus. (1)
Tu meliore Pius laude Antonine vocaris.
  Publicus haec Romae nomina iussit amor.

(1) Martialis de Domitiano — Edictum domini deique nostri — De Traiano — Dicturus dominum deumque non sum —

—

II.

Elidis in templo Iuno mirata Tonantem,
  Cur me phidiacae praeteriere manus ?
Dixit, et egrediens obscuro candida nimbo
  Advenit magni limina Praxitelis. (1)
Ille deam sculpsit qualem super astra sereno
  Ridentem vultu coelicolae aspiciunt.
Iupiter eleus cecidit : Saturnia, victis
  Argivûm terris, maenia Martis habet.

(1) Sit Praxitelis necne incertum est; sed pulcherrima deae maiestas facile tantum artificem sibi vindicat. Reperta est in Viminali.

DVO DISCOBOLI,

AVRIGA, ALCIBIADES, PHOCIO

IN CONCLAVI BIGAE VOTIVAE

III.

Quam bene laurigero tiberini in vertice collis (1)
Apparet ludi splendor olympiaci!
In medium rapitur currus; furit ardor equorum;
Erigitur cervix, involitantque iubae.
Auriga ostentans victo certamine palmam
Stringit adhuc laeva concita fraena manu.
Flos graiûm validos ingenti robore nervos
Protendens disco lambere gaudet humum.
Alter praecipiti iacit impete, cogitat alter (2)
Metiturque viam qua suus orbis eat.
Filius en Cliniae vibrato in praelia ferro
Hostilem calcat sub pedibus galeam.
Phocio primores iustissimus inter Achivos (3)
Tollitur, et iuvenum fortia facta probat.

(1) Conclave bigae ceteris editius hortos vaticanos prospectat.

(2) Discobolus alter Myronis, alter Nautidis.

(3) (2) Signum e praecipuis Musei, ob formae simplicis nobilitatem Phocionis creditum.

SEXTVS CHERONENSIS, ET POETA (1)

—

IV.

Sex. Aureli
Poe. Quae vox nocturna silentia rumpit?
Sex. Huc ades Aureli
Poe. Clamas tu Sexte?
Sex. Vocavi
Magnum Antoninum. Sed tu romane potentum
Servus es an liber?
Poe. Liberrimus
Sex. Haec mea dicta
Civibus audacter memora. Cur Sextus in altis
Sedibus heroum primos invenit honores?
Optimus at Caesar, quem suspexere Quirites
Principis atque sophi geminata laude probatum,
Sub Iove tarpeio ventis perculsus et imbre
(Indignum visu!) lento consumitur aevo?
Roma sui decoris vindex huc nobile signum
Inferat, et caros iterum coniungat amicos.

(1) Philosophus et orator fuit M. Aurelii Caesaris magister. Postulare hic fingitur quod est in votis Romae, ut signum aeneum M. Aurelii positum sub dio ante Capitolium, in Museum Vaticanum ad latus amici dignius inferatur.

MVSEVM AEGYPTIVM (1)

—

CARMEN

Me patrii colles et amica nitentibus euris
Rura vocant lauros inter cantusque volucrum,
Vaticanus apex celso qua fulget olympo.
Hic mihi floriferis Erato pulcherrima campis
Heroum sedes aperit placidosque recessus,
Seu libeat gelidis captare sedilibus umbram,
Seu numeris mulcere deos citharaque sonanti.
Vidi egomet, dum nota vagor penetralia circum,
Laocoonta feros manibus torquere dracones,
Aut tremere in nivea Phoebi cervice pharetram:
Vidi saepe Iovis nutu vicina moveri
Atria, divinasque comas frontemque serenam
Nocte sub obscura claros variare colores.
Quid referam herculeo spirantem pectore flammam?
Vel te suspensum tegeeae virginis ore
Setigeri Meleager apri capita alta trahentem?
Silenumve patrem, et dociles ad pocula lyncas?
Non tamen haec quaecumque olim misere Pelasgi,

(1) Conditum a Pio VII. auctum a Gregorio XVI.

Aemula felicis Latii vel protulit aetas
Marmora semideûm celebres referentia vultus
Sola domos habitant laetas, aut carmine gaudent.
Cernis ab etruscis ut ahenea signa ruinis
Excita romuleas primum micuere sub auras,
Armaque, crateresque, et fulva monilia matrum?
Haec quoque virginibus dedit oblectamina Musis
Aurea qui placidi moderatur fraena Quirini
Gregorius; solemque novum, nova divitis aulae (1)
Limina detexit, longeque effulgere iussit.

Ecce autem insolitae species et monstra deorum
Omnigenum apparent, quae sollers fingere Memphis
Primaeva Aegypti sub relligione creavit:
Legiferique patres, antiquae lumina gentis,
Inveniunt dulces secreta in parte latebras,
Et laribus certis certa statione residunt.
Protinus impulso panduntur cardine postes,
Ianuaque insonuit rigido perfecta metallo.
Vestibulum late phariis inventa sepulcris
Grandia saxa tenent, et vasto pondere moles
Niliaca Tiberim transvectae nuper ab unda.
Nomina describunt lapides; similisque coronae
Maeander variis ambit monumenta figuris.
Lignea praeterea circumstant tegmina pictis
Interfusa notis minioque superlita rubro,
Dulcis ubi myrrhae nardique liquentis odore
Compositi reges per secula longa iacebant.
Nos faciem antiquam et tumulos miramur inanes.
Templa paraetonii credas lustrare Canopi,

(1) Pulcherrima Antinoi statua inventa fuit in villa Adriana prope Tibur.

Aedibus Isiacis vel moestas ire per umbras.
Nam neque pulcra Venus nec florens ridet Iacchus,
Lascivaeque choro Dryades; sed torva ferarum
Ora nigro Libyae nutant minitantia saxo,
Membraque trunca virûm, et miris capita ardua formis.
Sunt etiam tenui praesignes arte puellae,
Mollia circumeat niveus si corpora candor.
Aspice surgentem contra turresque ferentem
Vertice marmoreo, dominam seu dixeris Isin,
Sive ortam priscis de regibus heroinam,
Quae Pharon imperio tenuit nigramque Syenen,
More habituque deae quondam celebrata per Afros.
Reginae pedibus gemini accubuere leones, (1)
Ingentesque solo deiecti molliter armos
Ostendunt placidos ungues, et colla reclinant
Obtutu tacito : gelidus de marmore terror
Emicat, atque horrens membrorum spirat imago.
Nunc age, quis dextra iuvenis supereminet heros?
Quae lateri assistunt divae ? Te-ne inclyte fama
Accipimus Ptolemaee, prior qui bella genusque
Isacidum memori descripta volumine Mosis,
Iura patrum, legesque pias, ritusque sacrorum
Aegypto in media Numidumque per oppida Graiis
Evolvenda tuis graio sermone dedisti ?
Salve dulce decus vatum, felicibus auspex
Ingeniis ; tuque o caro coniuncta marito
Arsinoe, quem fronte pari et cervicibus aequas,
Regalem sacro praetexens tegmine vittam.
Scripta silex vestras dicit cum nomine laudes.

(1) Fontem prius ornabant secus Diocletiani Thermas : inde huc translati iussu Gregorii XVI. Sculptura aegyptia vetustissima.

Altera formoso tollens se corpore nympha,
Vel minor Arsinoe vel flava comas Berenice
Carmine Callimachi stellis illata serenis,
Certe etiam clari Lagidarum sanguinis una est.
His quondam signis virtus aegyptia magnos
Coelo aequare duces aeterno suevit honore,
Cum starent prima celebres ab origine Thebae
Artibus antiquis, et cum pellaea iuventus
Fortis Alexandri cognomine conderet urbem,
Et dites Asiae compleret Graecia portus.

Sed me, ceu ver purpureum viridantibus herbis
Raptat apes, diversa locis simulacra morantur
Carpentem summos leviter per singula flores.
En ut luce nova fundit se largior aether!
En alia ut nebulis apparent signa remotis!
Ne vero turba ingenti ne obsistite divi.
Ille mihi dulces inspirat solus amores
Egregium pario profert qui lumine vultum
Antinous, Telamon qualis vel mascula Ledae
Progenies forti nudabant brachia luctae.
Illum etiam gelidi positum prope Tiburis umbras (1)
Naiades Albuneae suspiravere sub antro,
Nectebantque rosis, mollique aspergine lymphae
Tingebant, puros squalor ne laederet artus.
Nam quid ego memorem ut forma correptus amici
Helius eximium iuvenem dum Caesar in omnes
Heroum facies et centum numina vertit,
Ritibus hunc etiam phariis templisque dicari
Iusserit, et Latio memphiten fingere Osirin?

(1) Conclave ubi servantur cadavera exsiccata.

Utque inter lucos, Anio qua currit amoenus,
Dilectam effigiem tectis incluserit aureis?
Semiferum circa vulgus mixtamque coronam
Cernere erat, saevis metuendum cornibus Apin,
Sphyngaque tergeminam, et nigranti corpore Nilum.
Ipse, velut tremulos accendit Lucifer ignes,
Vel matutinum stillant ubi lilia rorem,
Altior Antinous coeli surgebat ad auras.
Nunc quoque romana melius tellure nitentem
Maximus Ausonidum rector florentibus hortis
Restituit, zephyrosque dedit, veteremque Canopum.
Spargite, io, frondes, et opacam innectite myrtum
Lactea colla super. Tu magnum robore vincis
Alciden: te mollis amat Cytherea; suumque
Ipse tibi puer idalius concedit honorem.

Quod superest, taciti ingrediar penetralia Ditis,
Funereosque lares; quamquam nec nocte profunda
Nec silvis nigroque lacu prohibemur Averni,
Grata sed elysii circumstant otia ruris:
Sunt tamen hic manes aeternoque obsita somno
Corpora, sunt atra tecti ferrugine vultus,
Et capitum squalens etiam nunc forma videtur.
Cetera nosse vetat seclorum obscura vetustas.
Fallor? an excitae stygiis de sedibus umbrae
Cum fremitu involitant? Quid me terretis inani
Attonitum visu et gelida formidine mortis
Regales animae? Non haec mihi dira cupido
Explorare oculis artus vel tangere dextra:
Nec placidos unquam didici violare sepultos,
Ossave in ignotis rimari antiqua cavernis.
Numina casta sequor Musas, coetusque piorum

Concelebro insignis phoebea tempora lauro.
Quod si vestra nefas rupisse silentia cantu,
Si tantum longae iuvat indulgere quieti,
Discedam tectis, quo me veneranda Minervae
Aegis et invicti defendat Apollinis arcus.

REGIA LEONIS X. (1)

A RAPHAELE PICTA

—

EPIGRAMMA

I.

Sparge rosis limen: divinae his aedibus umbrae
  Involitant, Raphael, Iulius, atque Leo,
Centum alii pariter coniuncti foedere amici,
  Flos italûm, antiquis artibus egregii.
Aspicis? en Raphael: iucundum spirat odorem
  Lenis et ambrosiam ventilat aura comam.
Pristinus huic amor est: opera immortalia, formas
  Quas didicit coelo, visere gestit adhuc.

(1) Vulgo Conclavia Raphaelis. Regia magnanimi Pontificis, et Picturae romanae. — Cui par est nihil et nihil secundum. —

PRAELIVM CONSTANTINI (1)

II.

Quis fragor auditur pugnae ? Quae tela coruscant?
  Romana ad Tiberim certat utrinque acies.
Consertos video pedites, et corpora equorum
  Saucia semianimis incubuisse viris.
Irruit in medios vibranti cuspide Caesar,
  Quem sonipes cursu praepete sanguineas
Huc illuc galeas inimicaque scuta refringens
  Victorem adversi portat in ora ducis.
Perfide Maxenti rapida iam naufragus unda
  Prensa tenes frustra colla natantis equi,
Fulmineum pavitans hostem, totoque micantes
  Aligeros coelo purpureamque Crucem.
Ludimur? Haec rerum facies expressa colore
  Emicat? An vere miles ad arma ruit?
Nescio; sed cupide collustrans singula, miror
  Quod nondum fugiat Caesaris hasta manu.

(1) Praeclarum hoc opus Iulii Romani ceteraque artis miracula in hisce aedibus condita sublimiore carmine ac spiritu Virgiliano describenda essent. Sed non ausim nisi modeste me inserere concilio tot animarum doctrina principum, quae Leonis aulam circumstant. Summa rerum capita perstringam, Constanti: : praelium, scholam Atheniensem Heliodorum, Disputationem Eucharisticam, ubi cum theologis Dantes.

MVSIVUM VETVS
IN LEONIS X. REGIAM
A COLLE LATERANO TRANSLATVM
MVNIFICENTIA
PII IX.

—

III.

Ne te fervida distrahat voluptas
Visendi cupidum. Tenere gressus
Parumper moneo. Iuvat lapillis
Instratum variis solum tueri;
Iuvat flexilis ordines acanthi,
Nymphas purpureo colore pictas,
Maeandri et faciles obire ludos.
Opus pulvere squalidum vetusto
Nonus restituit Pius, deditque
Hic in divite regia Leonis
Pulcras inter imagines beata
Solis luce frui, decenter aptans,
Fulvo gemma velut ligatur auro.
At tu, si sapis, aestimes utrumque,
Laborem artificis, Piique munus:
Dein quo te rapit impetus volabis.

—

IV.

Quales puniceis ubi florent arva rosetis
  Hyblaeum gaudent carpere nectar apes,
Attica non alio pubes praegestit amore
  Noscere doctrinae germina palladiae.
Socratis hic facilem sermonibus applicat aurem,
  Hunc rapit inscriptis circinus in tabulis,
Arduaque invitant secreta Matheseos; illum
  Delectat blando Teïus ore senex.
Pectora plebeio cinguntur stoica panno,
  Et cynici nudo procubuere solo.
Altius heroes fulgent, quos nobile silvis
  Exercet studium docte Academe tuis.
Non tamen ille Plato est, quem cernis fronte severa
  Prostantem graiis imperitare sophis;
At missum Coelo fulmen, venerabile cunctis
  Oraclum Europae gentibus atque Asiae,
Paulus at est: solem portans per achaidas urbes
  Dissipat ignotum quae tegit umbra Deum.

HELIODORVS

TEMPLO DEPVLSVS

V.

Ecce volat divinus eques: tu barbare praedam
Redde; procul sancto limine carpe fugam.
Dic regi, qui te scelera haec admittere iussit:
Est Deus, est vindex; laedere templa cave.

DANTES ALIGHERIVS

INTER THEOLOGOS

—

VI.

Civis ego sum Roma tuus. Miraris in aula
Magnanimi Dantem cernere Pontificis?
Non hic vulgus iners, non atro sordida limo
Pectora, sed procerum docta corona sedet.
Salvete illustres animae, sanctissima templi
Lumina carminibus concelebrata meis!
Vos ego stellanti meditans affabar Olympo;
Vos mihi nunc comites vita secunda dedit:
Et merito; nam quae vestris sapientia chartis
Fronte micans rigida diva severa tonat,
Floribus haec italis varios induta colores
Facta mihi est patriae rara magistra lyrae;
Virtutemque docens cantu, qua vividus ardor
Ire iubet, mecum per tria regna volat.

SEPVLCRVM

TORQVATI TASSI

IN CLIVO VATICANO

VII.

Arripe vicini mecum fastigia collis.
  Torquati cineres angulus ille tegit.
Da lacrymas vati; tumulum nec despice: vincit
  Exiguus regum magna sepulcra lapis (1)

(1) In parvo lapide clarior imago aerumnarum nostri vatis apparet quam in proximo monumento recens extructo aere publico italorum.

QVERCVS EIVSDEM TORQVATI (1)

—

CARMEN

Quis te sacra ilex memorantem prisca Quiritum
Secula, quis longae deiecit honore senectae,
Pulvereoque solo truncum damnavit inertem?
Nuper ab aërio surgentem culmine montis
Lutea pingebat radiis aurora, levesque
Cum zephyris imbres et mollia rura fovebant.
Tu vaticanis nidum praebere columbis
Sueta prius dulcemque choris iuvenilibus umbram,
Nunc despecta iaces, immani pondere terram
Amplexa, et vasta ramorum squalida sylva.
Luget nudus apex, moestae fugere volucres,
Flent quoque subiectis Tiberinae Naiades undis.
Certe aliquid laevum Romae portendere visa es,
Armaque, funestamque luem, propiusque ruinae

(1) Hoc nomine appellata est quod Torquatus paulo ante obitum in divi Onuhprii coenobium secedens sub ea consederit. Vi turbinis cecidit mense septembri an. MDCCCXLII.

Imperium, et fractos damna inter mutua cives.
Nox illunis erat, pennisque humentibus auster
Volvebat densos tyrrheno ex aequore nimbos,
Cum me nec solita vigilem dulcedine Musae
Lactarent, nec blanda quies, sed tectus amico
Limine, quo pario de marmore spirat Apollo,
Mugitus venti tremerem, saevaeque fragorem
Grandinis, et crebro labentem fulguris ignem.
Horrebant simulacra deûm nunc abdita nigris
In nebulis, nunc flammato rutilantia vultu;
Perque cavas aedes misceri murmur et altos
Audieram gemitus, vocemque ululare profundis
Porticibus; laureta sacro circumsita luco
Funereum dira sub tempestate sonabant.
Vix primum rubuit depulsis imbribus aether,
Ausus mane novo spoliatos visere campos
Te procul abrupto delapsam ex aggere, late
Saxorum cumulo radicibus incumbentem
Aspexi, laceroque sedens in cortice fusis
Haerebam lacrymis, uda ceu plorat in alga
Fluctibus hibernis demersam nauta carinam:
Cum iuvenis dulci frontem mihi perculit aura
Caeruleis fulgens oculis: viridissima pulcro
Serta inerant capiti, atque acies divina micabat
Ingenii; volucremque pedem qua ferret, obortae
Florebant violae. Paulum suspensus in ipsa
Strage tui, gelidoque locos horrore sepultos
Circumiens tremulas decussit vertice frondes.
Ast ego iucundae rapiebar imaginis ore;
Incertusque animi divum sectarer an umbram,
Tu-ne sacer Torquate venis? tu-ne optime vatum,
Clamabam, cineres et limina nota revisis,

Exuviasque tuas? Nec te secura piorum
Gaudia, nec carpunt humani oblivia luctus?
Restitit, et blandis adspirans flebile dictis,
Noscis, ait, noscis quanto dilectus amore
Hic mihi mons olim, quantum haec foret hospita quercus.
Eridanum fugiens, passus crudelia vincla
Carceris immeriti, silvarum per iuga praeceps
Iam deflorentes annos et amara potentum
Praemia, regales fastus longumque fremebam
Servitium indignans; nec libertate recepta,
Aethere nec puro laetabar, Mantua donec
Acciperet fessum gremio. Lustrare iuvabat
Virgilii natale solum, gratissima Mincî
Flumina, et Aonidum myrteta sonantia cantus.
Cura sed infelix tristem per inania mentem
Somnia raptabat furiis; iamque ire sub Alpes
Impulerat, iam strata gelu castella videre
Allobrogum, et canas mixta inter nubila rupes;
Hinc Apennini transvectum saxa relabi
Ad mare Parthenopes desertaque busta parentum,
Atque exoptatae vultu pendere sororis.
Cara soror! tegeres miseri tu lumina fratris;
Tu caput extincti lacrymis complexa rigares.
Cynthius haec inter Capitolia ad alta vocabat (1)
Pollicitus celebris decus immortale coronae.
Arma pii celebrata ducis, Solymeque tyranno
Libera visa mihi tantas adscribere laudes.
Aeger eram, cum marmorea Clementis ab aula (2)
Grandia mirabar frondoso haec robora trunco

(1) P. Cardinalis Cynthius Aldobrandinus.
(2) Clementis VIII. Pont. Max.

Pandere se contra Tiberim : placuere beati
Otia tuta loci, collesque et lucidus aer.
Ut veni, ut facies antiquae apparuit urbis
Desuper, et moles vidi squalere superbas,
Hinc disiecta Foro ruptis delubra columnis,
Caesareaque domo nigras crevisse cupressus,
Inde novum tolli radianti culmine templum, (1)
Mortalis fluxit nubes; coelestibus alis
Ipse etiam tollebar humo; rerumque fugaces
Cernebam formas simulacraque turbida vitae
Sub pedibus fugere, et densa caligine mergi:
Non aliter quam si celsa de rupe viator
Prospectet ventosam hiemem, strepere omnia saevo
Turbine, perque imas volitantia fulmina valles,
At silvam supra coelumque silescere et auras.
Ante tamen quam membra sopor lethalis haberet,
Ille idem fulgens ostro sanctissimus heros,
Cynthius ille aderat, magno coeunte senatu
Romulidum, lauros promissaque munera portans.
Aspice (et haec dicens placidum subrisit) amici
Serta mei, non ignotis abiecta sepulcris,
Non corrupta situ aut virides oblita colores:
Scilicet aurato cingit quae sidere crinem
Musa, mihi quondam divini carminis auspex,
Aeternum frondere iubet. Felicior arbos
Haec quoque apud memores vixisset sera nepotes:
Procubuit dirae vobis heu nuncia sortis!
Extulit hîc sese templi ad fastigia vates
Ardua, purpureoque volans cum sole refulsit.

(1) Petri. Altera pars collis Urbem prospectat, altera culmen vaticanum.

At tibi, sparsa licet tellure miserrima quercus
Fortia demittas indignae brachia morti,
Nec furor insultet boreae, nec avara bipennis
Diripiat saevo laniatum vulnere corpus.
Germen adhuc superet matris de stirpe, virenti (1)
Quod nemore et campos et amoenum flumen inumbret.
Nos quae fata manent humili cervice feremus.
Omnia dura pati iampridem assuevimus; omnes
Nitimur in fluctus. Iampridem sontibus instat
Poena vigil, longumque tonans horrenda minatur:
Immemor at scelerum torpet gens impia somno,
Nec coeli flammam repetitave murmura curat.

(1) Non fallax augur haec cecini; siquidem e veteri cortice nova arbor tam late succrevit ut vere dici possit aemula matris.

INSCRIPTIONES

ANIMAE (1)

GABRIELIS LAVREANII

DEDICATIO LIBRI

—

Ea mihi consuetudo tecum erat praeceptor atque amice suavissime, cum adhuc praesentia ac familiaritate tua fruerer, ut quidquid ex latina poesi decerperem, iudicii tui auctoritate probatum vellem; te unice observarem; tibi optimarum institutionum, quibus me Catulli Virgiliique elegantiis ab adolescentia imbueras, peculiari studio atque officiis omnibus publice gratiam rependerem. Nunc vero sinas, obsecro, memoriae tuae flores hosce vaticanos dedicem, postquam cum ingenti animi mei dolore, cum tanta latinae linguae iactura mortalium infortuniis ereptus ad superos evolasti. Si deterrima hac aetate vigeret ille amor, illa aestimatio tui, quae praemia ob singularem innocentiam, ob eximiam ingenii venustatem fore immortalia tibi, vel saltem diuturna speraveram, minus certe dolerem videns imaginem Laureanii mei ca-

(1) Bibliothecae Vaticanae Praefectus latini stili venustate floruit. Vir egregius, utinam felicior!

rissimam apud praesentes coli, laudari egregia scripta, versari iuvenum manibus exemplaria, quibus in veterum gustu servando contra recentium librorum venena uterentur. Verum, sive fortunae ludus, sive humanae indolis error sit, plerumque excellentes viros oblivioni tradimus. Ubi pulcherrimae orationes tuae? Ubi versus Catulliano nectare illiti? Ubi varia inscriptionum supellex urbano decori comparata? Pauci labores tuos, veluti sparsas naufragio merces, colligunt, pauci in deliciis habent. Dignus inter praecipuos latinitatis iudices qui fere secundus a Cunichio (1) nostro esses, ingrato silentio premeris. Hanc tu quidem dulcis anima superbiam rides; atque ab ipso sempiternae beatitatis fonte delicias omnes in literis hic diu quaesitas large hauris. At mihi necessitudine consiliisque tuis destituto in dies augetur moeror, nec suppetit quod cupio vehementer, pene obliteratum et corruptum romanae linguae candorem a mendaci stilo vindicare. Utinam haec loquendi scribendique barbaries quam longissime exularet! Sed ea in visceribus est. Antiquae disciplinae vix primore labro delibantur. Ingenium irretire his laqueis absurdum videtur.

Iubet me tua modestia supervacuis huiusmodi querimoniis temperare, deque ipso libello meo cogitare severius, quem ingenuae linguae cultores (vigent enim licet rari florentque) parum fortasse

(2) Raimundus Cunichius optimus omnium recentiorum nitore latino excelluit; Iliadem ac Theocriti idyllia versibus reddidit ita eleganter ut nil supra. Floruit cum Zamagna.

politum dicent. Sed tibi magistro indulgenti meique amantissimo non adeo esse iniucundum puto pleraque me argumenta poeseos ex vaticanis aedibus collegisse, ubi simul coniunctissime versabamur, ubi in Pontificalis Bibliothecae thesauris placide senescebas. Quocirca parvum hoc munus libens accipe: mihi liberisque meis doctrinae, probitatis, virtutum omnium exemplar esto. Vive inter innocentes felix!

☧ (1)

CIVES
GABRIELI . LAVREANIO
V . C . MONVMENTVM . PONITE
RARVS . TERENTIANAE . LATINITATIS . CVLTOR
AMABILI . INGENIO . ET . MODESTIA
VIXIT . AVREVS
AETATE . IN . FERRVM . PROLABENTE

ALTA . PETANT . AQVILAE . GAVDENS . FLORENTIBVS . HORTIS
DVLCE . SVSVRRAT . APIS . DVLCIA . MELLA . LEGIT

(1) Ibi.

A ☧ Ω [1]

DILECTE . AMICE
FELIX . VISCONTI
OCVLIS . MISERRIME . CAPTVS
INTEGRIS . ANNIS
FLEBAS . PERDITAM . GLORIAM
ET . LABORES . IRRITOS . FORI
SOLVTIS . TENEBRIS
VIGILA . IN . DEO
SAPIENTIAE . IMMORTALIS . COMPOS

(1) Ibi.

IOANNI PACINIO

TITVLVS

—

IOANNES . PACINIVS . CATANENSIS . NOBILEM . INGENII FLAMMAM . SICVLA . TELLVRE . INDITAM . PRIMORIBVS ANNIS . AD . MVSICEN . CONTVLIT . EIVSQVE . MAGISTERIO TAM . FELICITER . EXCELLVIT . VT . CLARIS . OPERIBVS . IN SCENAM . EDITIS . INTER . QVAE . SAPPHO . PVLCHERRIMA FLORET . COPIA . VENVSTATE . ROBORE . MODORVM . SCRIPTOR EGREGIVS . OMNIBVS . ITALORVM . SENTENTIIS . HABERETVR PRAETER . LAVDES . ARTIS . GRATIAM . EI . CONCILIABANT ANIMI . CANDOR . MORVM . SVAVITAS . RELIGIO . MODESTIA AMICITIA . NON . SENECTVS . NON . ADVERSA . VALETVDO MENTEM . ALACREM . DEIECERE . LABORIBVS . VLTIMVM CHRISTIANI . CYCNI . MELOS . ROMAE . SERVATVM . HOC PRAEMIVM . VIRTVTIS . MERITVS . EST . QVI . MAGNANIMAM LIBERTATEM . FIDEMQVE . PONTIFICI . MAX . INCORRVPTAM PROFITEBATVR . VT . SACRIS . SOLEMNIBVS . PETRI . ET . PAVLI IN . LVCE . AVLAE . CAPITOLINAE . CANTICVM . INTEXERET SALVTATVM . PLAVSV . ROMANO . PAVCIS . POST . DIEBVS APVD . THVSCOS . QVO . SE . CVM . FAMILIA . RECEPERAT QVIEVIT . IN . PACE . CHRISTI . VII . ID . DECEMBRES AN . MDCCCLXVII . AET . SVAE . LXXII

ITALI . QVIBVS . PATRIVS . HONOR . CORDI . EST . DIGNVM CIVEM . PERENNI . MONVMENTO . CONDECORENT

A ☧ Ω (1)

IOSEPHVS . VANNVTELLIVS
SAPIENTVM . AMICVS . ET . FAVTOR
DOCTRINAE . FORENSI . LITERARVM . ELEGANTIAS
GRAECA . ET . LATINA . STVDIA . CONIVNXIT
THESAVROS . OMNIGENAE . ANTIQVITATIS
PRAECIPVVM . INGENII . ET . ANIMI . SVI . EXEMPLAR
FAMILIAE . RELIQVIT
GENVTIANVM . IN . LATIO
NATALE . OPPIDVM . BENEFACTIS . ORNAVIT
VIXIT . AN . LXXIV.

AMORIS . PERPETVI . MONVMENTVM
CINERI . OPTIMI . PATRIS
DILECTAE . MATRI . SVPERSTITI
SCVLPTIS . IMAGINIBVS . ET . MEMORIA . VIRTVTVM
FILII . MOERENTES . POSVERE

(1) In templo SS. App.

Α ☧ Ω (1)

CLARA . GIROMETTI . F . VANNVTELLIA
MATERFAMILIAS . VIGIL . PIA
EXCVLTA . ARTIBVS . OPTIMIS
MVSICE . ET . PICTVRA . TEXTILI . EXCELLVIT
SEDVLA . IN . EGENIS . IVVANDIS
ANIMO . CONTRA . ADVERSAM . VALETVDINEM . INVICTO
PRAEMIVM . VIRTVTIS . ALTE . SVSPEXIT . IN DEO
QVIEVIT . AN . AET . S . LX . PRID . ID . AVG . MDCCCLXVII

(1) Ibi.

A ☧ Ω (1)

THOMAE . MASSIO
PATRI . IN . FILIIS . EDVCANDIS
GRAVI . HONESTO
FIDE . CONSTANTI . ERGA . SEX . PONTIFICES . MAXIMOS
FRANCISCVS . F.
DISCIPLINAE . SEVERAE . MEMOR
GRATO . ANIMO . POSVIT

(1) In Agro Verano.

A ☧ Ω (1)

QVO . TE . LOCO . INVENIAM . DVLCIS . MATER
PER . HAEC . SEPVLCRA . INCERTVS . HAEREO
TITVLVS . EGREGIAE . VIRTVTI . DEFVIT
ABSENTE . FILIO
PROFER . CARAM . IMAGINEM
FRANCISCO . TVO
ET . NEPOTIBVS . MASSIIS
QVI . TE . SALVTANT

AVE . FILI
HOC . IN . CESPITE . DORMIO
NON . INDIGA . MONVMENTI
PRAEMIVM . CHRISTVS

(1) In Agro Verano.

VIVE IN ☧ (1)


ANNA . SIMEONIA
FORTIS . AD . AERVMNAS . MVLIER
DVO . TIBI . FILII . VIDVITATEM . SOLABAMVR
PRIOR . SACERDOS . OBITV . IMMATVRO . DECESSIT
ME . REBELLES . PONTIFICALI . REGNO
CARCERI . DAMNAVERE . OB . FIDEM
TV . PATIENS . DOMESTICI . LVCTVS
IN . EXTREMA . SENECTVTE
PLACIDA . MORTE . QVIEVISTI
ANNVM . AGENS . LXXX
MEMOR . SIS . INTER . COELITES
PII . SIMEONII . FILII . PEREGRINI

(1) Centumcellis.

A ☧ Ω (1)

ROSA . RAMARINIA
VIRGO . INNOCENTIAE . FORMAE
AMORIS . IN . SVOS . RARVM . EXEMPLAR
HORATIO . FRATRI . DVLCISSIMO . IVNCTA . QVIESCIT
FLEVIT . EIVS . OBITVM . VIGINTI MENSES
DOLORIS . ACERBITATE CONFECTA
PRID . NON . AVG . A . MDCCCLVII . AET . S . XXX
DILECTAM . ANIMAM . IN . DEO . REVISIT
OPTIMA . FILIA
PARENTES . MISERI . ET . DESERTA . DOMVS
LANGVENT . NVNC . DESIDERIO . TVI

(1) In Agro Verano.

 (1)

ALOISIA . KIBELA
SVB . CRVCE . QVIESCIS
PVER . TVVS . LVGENS
COROLLAM . IMPOSVIT
MATRI . PRAEREPTAE . AETATVLAE . SVAE

(1) In sepulcris teutonicis prope templum Vaticanum.

A ☧ Ω

HEIC . DEPOSITVS . EST . IN . PACE
LUCAS . PAIELLA
VIR . SINGVLARI . INTEGRITATE . RELIGIONE
PVBLICA . LAVDE . VIRTVTVM
PATERFAMILIAS . DILIGENS . CARVS . SVIS
IN . RATIONIBVS . MVNICIPII . GERENDIS
SENATVI , POPVLOQVE . ROMANO
DIVTVRNAM . OPERAM . CVM . FIDE . PRAESTITIT
OB . HAEC . MERITA
VNIVERSVS . ORDO . MAGISTRATVS . CAPITOLINI
CIVI . EGREGIO . MEMORIAM . PONI . IVSSIT
QVIEVIT . IN . CHRISTO
PRID . ID . FEBR . A . MDCCCLXIX . AET . S . LXVI
AVE . ANIMA . RARI . EXEMPLI

 (1)

LEOPOLDE . FLOSCVLE . NOSTER
E . CVNIS . PRAEVOLASTI . AD . INNOCENTES . DEI
RAPTVS . DELICIIS . PARENTVM
ACHILLIS . ET . MARIAE . PAIELLAE
OPPIDO . HORTANO
FRANCISCVS . MASSIVS
AVVS . TVVS . ABSENS
HANC . TIBI . MEMORIOLAM . SCRIPSI

(1) Hortani.

A ☧ Ω (1)

SIMON . FRANCHETTIVS
NEGOTIATOR . INDVSTRIVS . INTEGER
STVDIO . REI . FRVMENTARIAE
NAVITER . PARTAS . OPES
TEMPERANTIA . LABORE . AVXIT
CONCORDIA . DOMESTICA . FELIX
HEIC . DEPOSITVS . EST . III . ID . FEB . AN . MDCCCLVII
AET . SVAE . LXV
CAIETANVS . FILIVS
OPTIMO . PATRI . MONVMENTVM

(1) In sepulcris S. Spiritus in Saxia.

A ☧ Ω (1)

QVI . LEGIS . PIA . PRECE . ME . IVVA
CAIETANVS . ALTERIVS
PATERFAMILIAS . LOCO . HVMILI . FVI
MODICIS . NEGOTIIS
VXOREM . CARISSIMAM . CVM . TRIBVS . FILIIS
INTEGRE . ET . PVDICE . SVSTINVI
AD . ANNVM . AET . MEAE . LXXIV
QVI . MIHI . LABORIS . HVMANI . FINIS
DOMESTICVS . AMOR
HOC . ME . LAPIDE . TIBI . NOTVM . FECIT
VT . DICAS
REQVIESCE . IN . CHRISTO

(1) In Agro Verano.

[1] HEIC IACENT SIMVL COMPOSITI

IN PACE ☧

IOSEPHVS TONTINIVS ET RAPHAEL FILIVS

—

PATER . PICENTINVS . SINGVLARI . MORVM . INTEGRITATE
RELIGIONIS . CVLTV . AB . ADOLESCENTIA . FLORVIT . MAVRO
CAPPELLARIO . PRIMVM . ABBATI . ORDINIS . CAMALDVLENSIVM
DEINDE . S . E . R . PATRI . CARDINALI . SVMMA . FIDE
FAMVLATVS . EST . EIDEM . GREGORIO . XVI . P . M . AB
INTERIORE . CVBICVLO . ADMINISTER . SEXDECIM . ANNOS
OPERAM . PRAESTITIT . NAVVS . INNOCENS . PIO . IX . P . M
PROBANTE . VETVS . IN . AVLA . OFFICIVM . RETINVIT
ASIATICA . LVE . CORREPTVS . PLACIDE . DECESSIT . VTI
PIE . VIXERAT . VI . KAL . SEPT . AN . MDCCCLIV

—

FILIVS . EXIMIAE . SPEI . IVVENIS . BONIS . ARTIBVS
DILIGENTER . INSTITVTVS . DIE . SEPTIMO . POSTQVAM
DEFLEVERAT . PATREM . SORTE . PARI . CVM . EO . QVIEVIT

—

CONIVX . OPTIME . TVQVE . DVLCIS . FILI . VIDVAE . MATRI
SOLATIVM . BREVE . VOS . HENRICA . INFELIX . IN . HOC
MONVMENTO . CONIVNXI . HEIC . CITO . DORMIAM . CVM . MEIS

(1) In templo S. Mariae Gratiarum.

SPES MEA ☧ (1)

HEIC . IN . PACE . DORMIO
CAELESTINA . VALLETTIA . ROMANA . VIRGO
TVVM . EST . ALOISI . GONZAGA
SI . FLORVI . PIETATE . ET . MORIBVS . INTEGRIS
TE . PRAECIPVVM . DILEXI . ET . COLVI . FIDA . CLIENS
SODALITIO.QVOD.HAEC.ROCHI.AEDES.TIBI.SACRVM.HABET
FREQVENS . OPERAM . DEDI
NVNC.BEATA.IPSO.IN.SACELLO.TVO.VBI.FVNDEBAM.PRECES
INTER . LILIA . CONDOR
HOC . ME . PRAEMIO . HONESTAVIT
SACERDOS.IO.BAPTISTA.VALLETTIVS.PATRVVS.CARISSIMVS
VIXI . AN . XVIII . DECESSI . V . ID. MAI . A . MDCCCLXI

(1) In templo S. Rochi.

DONVM

—

VINCENTIO . TIZZANIO . ROMANO
SACRI . ORDINIS . CANN . LATERANENSIVM
QVEM . SINGVLARIS . INGENII . VIGOR . IN . AETATIS . FLORE
MONVMENTIS . CHRISTIANAE . HISTORIAE . EXPLANANDIS
LYCEI . MAGNI . DOCTORIBVS . ADSCRIPSIT
RELIGIO . PRVDENTIA . INTEGRITAS
AD . INTERAMNENSEM . PONTIFICATVM . EVEXERE
AVDITORES . EIVS . AMANTISSIMI
VT . LEVIOR . FIAT . REPENTINI . DISCESSVS . ACERBITAS
COMPERTVMQVE . OMNES . HABEANT
QVANTAM . ILLE . BENEVOLENTIAM . ET . ADMIRATIONEM . SVI
QVADRIENNIO . EXCITAVERIT
SIVE . OB . EXQVISITAE . ERVDITIONIS . COPIAM
MENTIS . ACIEM . PERSPICVITATEM ELOQVII
SIVE . OB . FACILEM . INDOLEM
OMNIVM . APTAM . INGENIIS
FAVSTO . DIE
QVO . PONTIFEX . INTERAMNATIVM . CREATVR
CONIVNCTISSIMA . VOLVNTATE . GRATVLANTES
CRVCEM . AVREAM . GEMMIS . INSIGNEM
OB . MERITA . DEDICANT
ID . MAI . A . MDCCCXLIII *

ELOGIVM

P. CARD. BRIGNOLE

CVM CORPORE CONDITVM

—

IACOBVS . ALOISIVS . MARIA . BRIGNOLE . S . E . R . PATER
CARDINALIS . TIT . S . CAECILIAE . PRINCIPI . LOCO . GENVAE
NATVS . POSTREMI . EIVS . REIP . DVCIS . NEPOS . FAMILIAE
NOBILITATEM . SVMMIS . HONORIBVS . CVMVLAVIT . INEVNTE
AETATE.A.LEONE.XII.P.M.ANTISTES . CREATVS. POST.ILLIVS
OBITVM.LEGATI.VICE.FERRARIAM.MODERATVS.EST.PIO . VIII
PONTIFICATVM . ADEPTO . SEDIS . APOSTOLICAE . NVNTIVS
FLORENTIAM . MISSVS . DEINDE . BONONIAM . CVM . CETERIS
AEMILIAE . PROVINCIIS . EXTRAORDINARIA . PROCVRATIONE
REGENTEM . DIFFICILLIMO . TEMPORE . GREGORIVS . XVI . OB
NEGOTIA . BENE . GESTA . IN . VRBEM . REVOCAT . PVBLICO
AERARIO . PRAEFICIT . IN . PP . CARDINALIVM . COLLEGIVM
COOPTAT . PLVRA . ILLI . HONESTISSIMA . MVNIA . DELATA
IN . QVIBVS . MAXIMA . SOLLERTIA . ATQVE . INTEGRITATE
EST . VSVS . PRAEFECTVRA . SAC . CONGREGATIONIS . LIBRIS
HAERETICAE . NEQVITIAE . DAMNANDIS . CONGR . PVBLICIS
RATIONIBVS . EXPENDENDIS . LARGITIONES . BENEFICENTIAE
CVRA . PIAE . DOMVS . ORPHANORVM . PVERI . AVDITV . AC
LINGVA . CAPTI . BONIS . ARTIBVS . INSTITVENDI . VITERBIIS

ET . ROMAE . APVD . THERMAS . DIOCLETIANEAS . PVLSIS
PERDVELLIBVS. SACRO . IMPERIO . RESTITVTO . PIVS . IX . PONT
MAX . PVBLICI . AERARII . DIFFICVLTAITBVS . TOLLENDIS
SAPIENTVM . VIRORUM . CONSILIO . PRAESIDEM . CREAT . RE
FELICITER . INCHOATA . DIVTVRNIS. LABORIBVS . EXANTLATIS
SVBITO . MORITVR . CONTRA . SPEM . OPTIMORVM. CIVIVM. FVIT
INNOCENTIA . AC . PIETATE . SINGVLARI . INGENIO . ALACRI
LIBERALITATE . SVMMA . IN . PAVPERES . VIRTVTVM . OMNIVM
NOBILE . EXEMPLAR . DECESSIT . ROMAE . AN . MDCCCLIII
AET . S . LVII .

ELOGIVM

IACOBI IVSTINIANII S. E. R. P. CARD.

CVM CORPORE CONDITVM

—

IACOBVS.IVSTINIANIVS.S.ECCL.ROM.P.CARDINALIS.PATRICIA STIRPE . GENVENSIS . ORTV . ROMANVS . IN . COLLEGIO ALVMNORUM . CHRISTIANO . NOMINI . PROPAGANDO SEVERIORIBVS . DISCIPLINIS . SVMMA . INGENII . LAVDE PERCEPTIS . A . PIO . SEXTO . PONTIFICE . MAX . INTER ANTISTITES. ADLECTVS. RAVENNAM. PROLEGATVS. PERVSIAM. PRAETOR . MISSVS . GALLIS . ITALIAM . OCCVPANTIBVS . EX VTRAQUE . PROVINCIA . DISCESSIT . ROMAE . CAPTIVVS ADSERVATVS . EST . DONEC . SVBLATO . EXTERNI . IMPERII TERRORE . CONSILIO . REBVS . ADMINISTRANDIS . DELECTO PRAEFVIT . QVVM . RES . ROMANA . NONDVM . INTEGRA . STARET DEIECTVS . PVBLICIS . NEGOTIIS . PEREGRINANDO . STVDIISQVE INDVLGENDO. SAPIENTER. ADVERSA. TOLERAVIT. OB. FAVSTVM FELICEMQVE . PII . SEPTIMI . REDITVM . AD . PRISTINA . MVNIA REVOCATVS . PRAEFECTVS . VRBIS . CREATVR . GALLICI . MOTVS FORMIDINE . ITERVM . INIECTA . PONTIFICIS . ABEVNTIS . IVSSV PERSTAT . IN . PRAEFECTVRA . PACE . COMPOSITA . RESTITVTIS PROVINCIIS . BONONIAE . REGENDAE . DELEGATVR . DEINDE AVCTVS . SACERDOTII . ATQVE . EPISCOPATVS . DIGNITATE

ARCHIEPISCOPVS . TYRI . SEDIS . APOSTOLICAE . LEGATVS
MITTITVR . IN . HISPANIAM . QVO . MVNERE . FVNGENS . DVM
PONTIFICIS . AVCTORITATEM . EGREGIE . TVETVR . CONTRA
HISPANI . REBELLANT . MATRITO . PVLSVS . BVRDIGALAM . SE
RECIPIT . INDE . IN . HISPANIAM . REVERSVS.REGI.LIBERTATEM
ADEPTO . GRATVLATVM . OCCVRRIT.CRVCEM . INSIGNE . CAROLI
III . DONO . ACCIPIT . OB . MERITA . AEDITVVS . ECCLESIAE
VALENTINAE . HONORIS . CAVSA . DICITVR . LEONIS . DECIMI
SECVNDI . PONT . MAX . NVTV . FOROCORNELIENSIS . EPISCOPVS
DEHINC . CARDINALIS . CREATVS . TIT . SS . MARCELLINI . ET
PETRI . AB . HISPANIA . REDVX . FORVM . CORNELII . PETIT
POST . ILLIVS . OBITVM . COLLEGIO . PATRVM . CARDINALIVM
ROMAE . IN . CONCLAVE . COACTO . SVFFRAGIIS . FERENDIS
ADEST . PIO . OCTAVO . SVMMO . PONTIFICE . RENVNCIATO
SVAE . DIOECESIS . CVRAM . GERIT . GREGORIVS . DECIMVS
SEXTVS . SAPIENTIVM . VIRORVM . PROVIDENTISSIMVS . IVDEX
IN . MAGNIS . NEGOTIIS . EO . FELICITER . VSVS.EST . ALBANENSI
EPISCOPO . S . ECCL . ROM . CAMERARIO . PRAEFECTO . LIBRIS
NOTANDIS.VATICANAE.BASILICAE.ARCHIPRESBYTERO.SVMMO
SCRINIARIO . A . LIBELLIS . DOCTRINA . FLORVIT . ROMANAE
ANTIQVITATIS . MONVMENTA.SPLENDORE.AVGENDA.CVRAVIT
EXIMIA . IN . DEVM . PIETATE . MORIBVS.SVAVISSIMIS.VIRTVTE
HONORVM . FASTIGIA . MERITVS . OBIIT . IN . ☧ . SEX. KAL.MAR.
AN . D . MILLESIMO . OCTINGENTESIMO . QVADRAGESIMO
TERTIO . AETATIS . SVAE . SEPTVAGESIMO . TERTIO

PIO . IX . PONT . MAX .

QVO . DIE . PATEFACTA . AD . MARE . TYRRHENVM . VIA . FERREA

PISCES . SVNT . ILLI . PVBLICO . MVNERE

CENTVMCELLIS . DELATI

—

Maxime Piscator Cui Retia Credita Petri
Cymbaque Tartareis Nunquam Demersa Procellis
Has Tibi Primitias Offert Via Ferrea Piscem
Aequore Tirrheno Captum Dum Surgit Ab Vndis
Virginis Alma Dies Stygium Quae Conterit Anguem
Accipe Sit Piscis Praedae Maioris Imago
Namque Per Ausonios Celeri Iam Tramite Campos
Vndique Transvectae Romana Ad Moenia Gentes
Largius Advenient. Tu Retia Mistica Tendes
Armaque Perfringens Caedem Quae Saeva Minantur
Divinum Tolles Optatae Pacis Olivum

PIO . IX . P . M.

SOLIS . ECLIPSIS

XIV . KAL . AVG . A . MDCCCLX.

—

Sol Pallet Densaque Caput Sub Nube Recondit
Terror Habet Gentes Moestis Animalia Campis
Irrequieta Fremunt. Brevis Effugit Hora. Nigrantem
En Sol Paullatim Formosior Excutit Vmbram
Laetitia Splendore Novo Perfunditur Orbis
Haec Est Vera Pii Tenebras Vincentis Imago

PIVS . IX . PONT . MAX.

LEONIANI . ATHENAEI . MAIESTATEM
TEMPLO . INSTAVRATO
AVCTIS . MVSEIS
PORTICIBVS . MARMOREO . PAVIMENTO . DECORATIS
SCALIS . IN . SPLENDIDIOREM . FORMAM . EXTRVCTIS
SAPIENTER . AB . INIVRIA . TEMPORVM . VINDICAVIT
CVRANTIBVS.VINC.SANTVCCIO.LOD.DE.ALTERIIS.S.E.R.PP.CARD.
AN . D . MDCCCLIX . S . P . XIII.

PIVS . IX . P . M. (1)

CIVIVM . ADVENARVMQVE . COMMODITATI
VIAM . FERREAM . CENTVMCELLIS . APERVIT
VRBEM . AVCTO . COMMEATV . FLORENTEM
NOVIS . MOENIBVS . PRODVCI . IVSSIT
OPVS . TRIENNIO . ABSOLVTVM
A . D . MDCCCLIX . S . P . E . XIII.

(1) Centumcellis.

PIVS . IX . P . M. (1)

CLAVSTRA . PLANTIS . EXOTICIS . COLENDIS
HEIC . COEPTA . PII . VII . P . M . PROVIDENTIA
VBERIORE . COPIA . ARTE . ORNATV . AEDIVM
VIRIDARII . AMOENITATE . PERFECIT
AN . S . P . XVI.

—

Ingredere O Princeps Tiberinae Limina Florae
Auspice Te Melius Rura Beata Nitent
Mille Tibi Crescunt Peregrino E Semine Plantae
Rebus In Adversis Crescit Vt Alma Fides
Post Hiemem Redeunt Flores. Post Impia Bella
Cingent Victrices Haec Tibi Serta Comas

(1) In Hortis Ianiculensibus
Bothanicae Provehendae

PIVS . IX . P . M.

HONESTIS . FEMINIS . INOPIA . LABORANTIBVS
SEMOTVM . A . CETERIS . AEGRIS . CONCLAVE
IN . NOSOCOMIO . LATERANENSI . EREXIT
VBI . PARTVBVS . COMMODE . LEVARENTVR
OMNI . SALVTARIS . ARTIS
RELIGIONIS . HVMANITATIS . HABITA . CVRA
SCIENTIAE . STVDIOSIS
IN . PRAECIPVO . HVMANAE . VITAE . MOMENTO
PROSPICIENDI . OPITVLANDI . COPIAM . PATEFECIT
NOVVM . EGESTATI . MISERANDAE . AVXILIVM . TVLIT
A . S . P . XVIII.

IVSIVRANDVM . FIDEI

ERGA . PIVM . IX . P . M.

DOCTORVM . DECVRIALIVM

MAGNI . LICEI . ROMANI

—

Leo Decimus Ceterique Ab Illo Pontt. Maxx. Beatissime Pater Romanum Athenaeum Cum Impia Bella In Religionem Arderent Firmam Velut Arcem Esse Decrevere Vbi Ductu Auspicioque Christianae Sapientiae Publici Magisterii Iura Imperarent. Egregia Instituta Bonarum Artium Ac Disciplinarum Omnium Perpetuo Tradita A Maioribus Tua Munificentia In Splendidiorem Cultum Provecta Doctores Decuriales Solemni Ritu Nos Integra Servaturos Iuravimus. Hoc Sacramento Obstricti Ad Tuos Pedes Provolvimur Vt Quam In Aula Leoniana Dedimus Fidem Illustrius Atque Apertius In Principis Nostri Conspectu Instauremus. Cum Enim Hac Infelici Aetate Regni Pontificalis Hostes Partim Arma Nefaria Partim Subdola Commenta In Illud Si Fieri Possit Evertendum Congerant Torpere Ignavia Deesse Patri Et Regi Indignum Officio Nostro Arbitramur. Ex Vltimis Pene Terris Communis Indignatio Contra Nova Facinora Vehementior In Dies Erumpit. Fortissimi Antistites Veterum Patrum Exempla Aemu-

lati Qui Christiano Nomini Praesidio Atque Ornamento Fuere Omne Ingenii Lumen Omnes Facundiae Nervos Adhibent In Mendaciis Detegendis Ne Imperiti Homines Errorum Laqueis Intercipiantur. Quidquid Sapientum Ac Bonorum Est Pro Sanctitate Publici Iuris Obniti Strenue Videmus. Tu Magnanime Princeps Non Humana Promissa Non Minas Sed Certissimum Tuae Causae Vindicem Testaris Deum. Saepius Eloquii Tui Flumen Scriptis Atque Concionibus Vberrime Promanavit. Nunc Vero In Tot Tantisque Fluctibus Altius Vocem Tollens Populos Ab Incerta Trepidatione Ad Invictam Illam Fortitudinem Quae Tuum Pectus Obarmat Mirifice Convertis. Ipsa Tantae Virtutis Admiratio Faciet Vt Qui Legitimi Dominatus Fraena Proculcant Vel Ad Meliora Consilia Animos Adiiciant Vel Iustam A Caelo Multam Sibi Propediem Imminere Sentiant. Omnia Tibi Quidem Fausta Beatissime Pater Eventura Confidimus Neque Enim Victoria Romani Pontificis Ex Vicissitudine Temporum Aut Regum Voluntate Pendet. Divinitus Acceptum Imperium Immortale Liberum Est. Quo Pervicacius Tentatur Eo Fortius Assurgit. Haec Praecepta In Iuvenum Mentibus Defigenda Curamus Haec Nos Tenere Constanter Parum Esset. Operam Tibi Exhibemus Quamcumque Sacri Principatus Defensio Postulet Voce Scripto Consilio Rem Labantem Tueri Denique Omnia Malle Quam Regem Nostrum Libertate Deminutum Vniversi Profitemur Nimium Felices Si Publico Magisterio Fungentes Institutori Catholici Orbis Aliquam Partem Auxilii Deo Iuvante Conferamus.

VOTVM

PRO . INCOLVMITATE . PII . IX

DIE . FESTO . ALOIS . GONZAGAE

AN . MDCCCLXVII.

—

Gonzagam Supplex Anno Redeunte Precabar:
  Tempora Magnanimo Da Meliora Pio.
Cum Mihi Purpureo Iuvenis Castissimus Ore
  Reddidit Haec: Spinis Lilia Mixta Vides.
His Ego Laetus Eram. Gaudet Certamine Virtus,
  Nec Fortes Animas Omnia Fausta Decent.
Maior In Adversis Pius Eminet. Invidus Anguis
  Candida Regali Quem Pede Virgo Premit
Nunc Aperit Caecas Vasta Tellure Ruinas
  Nunc Rapit Accensos Ad Sua Bella Duces.
Irrita Sed Monstri Pellens Conamina Mater
  Dilectum Caelo Protegit Alma Caput.
Dic Romae - Si Te Aggreditur Novus Attila Ferro
  Ne Metuas. Gladio Vindice Petrus Adest.

IDEM

—

Crede Ratem Pelago Nec Te Surgentibus Aether
Caligans Nimbis Nec Terreat Impetus Vndae
Iampridem Expertus. Dubio Regis Aequore Cursum
Nauta Sacer. Zephyri Modo Spiravere Secundi
Turbidus Incubuit Nigris Modo Fluctibus Auster.
Tu Fidens Animi Semper Tu Praeside Tutus
Virgine Quae Roseam Per Nubes Explicat Irim
Scinde Fretum Victor. Vel Se Per Inane Resolvat
Tempestas Vel Certa Cadat Sanctissima Puppis
Transiliet Scopulos Donec Redimita Coronis
Lintea Securos Intrent Felicia Portus.

CONTEMPLARE . HOSPES (1)
PORTAM . HANC . VRBIS . LEONIANAE
OPVS . ANTONII . A . SANCTO . GALLO . NOBILIS . ARCHITECTI
FLORENTINI
DEHINC . INGREDERE . PROXIMAS . AEDES . IN . RIPA . TIBERIS
ASYLVM . DEMENTIVM
LOCA . OLIM . SQVALIDA . ANGVSTA
PIVS . IX . AERE . PROPRIO
CELLIS . COMMODIORIBVS . LATE . PRODVXIT
OMNIGENA . SVPELLECTILE . ARTIS . SALVTARIS
MEDENTIVM . CVRIS . INSTITVTISQVE . ORNAVIT
IN . ARCV . SVPERIORE . PORTAE
VIAM . INFELICIBVS . APERVIT
AD . HORTOS . BARBERINIANOS
TELLVRI . COLENDAE . LIBERIORI . CAELO . FRVENDO
HAEC . ADDE . FASTIS . OPTIMI . PRINCIPIS
ET . VATICANVM . SCANDE

(1) Prope templum S. Spiritus in Saxia.

CLAVSTRVM PVLVERI SVLPHVREO

IN BELLICOS VSVS CVSTODIENDO

—

Sulphureus Pulvis Iusta Hic Ad Praelia Servor
Non Mortem Non Damna Fero Tristesve Ruinas
Gentibus Innocuis Nec Me Violenta Superbi
Principis Ambitio Miseras Accendit In Vrbes
Relligione Sacer Tutari Moenia Romae
Glorior Adversas Romae Disperdere Turmas
Si Petrus Iubeat Sum Vindex Fulmen In Armis
Sum Decus Et Columen Regni. Procul Este Rebelles
Pontifici Nolite Meos Acuisse Furores.

NOVVS PANIS AD VTILITATEM PVBLICAM

PIO IX PONTIFICI MAX. OBLATVS

—

EXAMETRI

Panis Ab Igne Recens Cereris Non Arte Profanae
Munere Sed Romae Populi Confectus Ad Vsum
Candidus Et Sanus Venio Tu Maxime Pastor
Accipe Tu Christi Vice Fungeris Erige Dextram
Quaeque Olim Portenta Manus Divina Peregit
Commiserans Turbam Renova Si Tangere Gaudes
Si Gustu Si Voce Probas Ego Largior Ibo
Candidior Pretio Levior Gratissimus Vrbi
Solamenque Inopum Te Felix Roma Paternis
Addicta Imperiis Plausu Maiore Sequetur
Grandia Monstrantem Divini Exempla Magistri

DIVERSA

DE STVDIO LATINITATIS

ORATIO

HABITA IN ARCHIGYMNASIO ROMANO



Praeclarum illud in maxima sapientum celebritate latine dicendi munus, quod ex curia Quiritum ad hanc nobilissimam sedem optimarum artium divina mens Leonis Decimi Pontificis Maximi contulit, cum mihi primum studiis solemni ritu instaurandis demandatum videam, egregii rei literariae moderatores, ita iudicii vestri benignitate recreor ut quae diu multumque versare animo ac quotidianis sermonibus soleo, quae patrius amor suggerit, liberius in hoc temporis locique depromam, ubi conventus splendidissimi taciturnitas nihil aequo animo patitur quod suae dignitati minus opportune respondeat.

Operae pretium est ab ipso disciplinarum omnium auctore Immortali Deo, a moderatrice totius sapientiae Deipara, cunctisque Caelitibus fausta ac felicia ineuntis anni curriculo adprecari: liceat deinde mihi paulo fusius in eam partem oratione provehi in qua cum romani nominis magnitudo vertitur, tum singularis momenti vestra auctoritas erit, ut vulnus in iuvenum visceribus alte defixum aliquando sanari possit, vel efficaci saltem leva-

mento foveri. Dico de latinae linguae prolapsa perditaque fortuna: de fonte illo elegantiarum qui unus e vetustissimo Imperio integer defluxit ad posteros; quem Christiana Religio poeticis fabulis expiatum casteque manantem ad severioris doctrinae latices derivavit; cuius denique aestimationem tribus ante seculis, aurea illa aetate, ea copia ingeniorum, vir absolutae eruditionis Muretus in iisdem hisce subselliis iuventuti florentissimae commendabat. Nolite adeo me inconsultum suspicari ut legum atque institutionum primarii huius Athenaei, ex quibus in ceteras urbes disciplinae optimae redundarunt, locoque ipsi Sapientiae nomen est inditum, maiestatem ac robur aliqua ex parte labefactatum putem. Video in coetu vestro imaginem pristinae amplitudinis: video quotidiana auditorum frequentia philologiam coli; tantam denique (1) inesse praeceptis eloquentiae salubritatem, ut qui huiusmodi succos diligenter hauriant utilitati atque auxilio iis potissimum sint futuri quorum omnis labor in puriore literatura instauranda versatur. Proinde mihi facilius persuadeo, rem nobilem in sinu vestro positam strenue vos praestaturos, quam totius Italiae incitamento, bono ac laudi civitatis nostrae summopere idoneam fore contendo.

Saepe audivi maiores natu commemorare, funestissimis bellorum turbinibus sexaginta ab hinc annis laborante Europa, veteres studiorum rationes militari dominatu permixtas in maximum incidisse discrimen: verumtamen illo incendio cum

(1) Cum haec scriberem, eloquentiae in Athenaeo tradendae e regiam dabat operam vir disertissimus Aloisius Maria Rezzi antecessor meus.

omnia arderent, non defuisse impigros homines, qui vel in hac urbana collium atque hortorum amoenitate, vel ubicumque facultas otii daretur, ad latina poemata exaranda se mutuo invitarent. Atque idem ego primores annos Bucolicis Virgilianis imbuens optima quaeque recentiorum scripta non mediocri delectatione volvebam; praesertim Iliadem atque Odysseam latinis Cunichii ac Zamagnae versibus mirabar expressam: tum me ad Theocriti delicias ille meus amor Cunichius vehementer rapere consueverat. Nihil autem esse tam austerum aut rigidum explicatu quod non Ausoniae Veneres mollirent ornarentve, satis probare poterant nova quaedam comperta matheseos poetice a Staio descripta, quae mirum in modum nostris auribus insonabant. Itaque statuis, tabulis, codicibus eximiis ingenti praeda in Galliam ex hac urbe convectis, nulla praepotenti militi de romanis studiis victoria contigit. Postquam vero communi libertate a magnis regibus vindicata provisum est literariae reipublicae, omnes qui linguae italicae iura tuebantur in eam laudem conspiravere ut nativa illius indoles iam fere dilapsa restitueretur. Quo consensu vix dici potest quantum succi ac sanguinis domesticae eloquentiae accederet. Pulsis aliquando Celtarum deliramentis maxima nostri iuris exemplaria suspeximus. Futile atque imbecillum scribendi genus ad grandia inventa sensusque altiores erectum est: idem theatris additus vigor qui Graeciam Euripide ac Sophocle auctoribus inflammaverat. Atque haec praeclara incepta utinam eo venissent quo rectae institutiones natu-

rali cursu, velut ad portum navigia, delabuntur, ad latinos inquam scriptores, ad latinam frugem cum vernaculis floribus coniungendam! O lumina romanae vetustatis segnius inspecta quam deceat! Adeone vel optimarum rerum initia praepostero fine occupantur! Quod interdum fieri videmus in deducendis coloniis, aut in erroribus maritimis, ut advenae post longas iactationes in aliquam delati amoeniorem insulam navigandi terminos per ignaviam sibi praescribant in iis oris, neque maiores regionum tractus aspiciant, praecellente aëris temperie, agrorum ubertate, mitibus incolarum ingeniis, cum quibus necesse habeant commeatus instituere, quaerere defensionum adiumenta contra praedones, idem ferme patriis literis accidit communi consensione Italorum ab alieno imperio vindicatis.

Primo Insubriam, Etruriam, Aemiliam, deinde Italiam universam fallax opinio pervasit, tantum esse operae latinitati navandum quantum demortuae linguae medioeris notitia ferat: ita cum paene e rhetorum ludo fueris egressus, omnem impetum in alia tibi studia coniiciendum, ex quibus in media luce famam assequaris. Hisce delinimentis magna iuvenum pars labare paullatim atque averti coepit. Remotis Tullii Virgiliique exemplaribus, promptiores aestimabant ad scribendum aditus quam si arduum ac salebrosum iter veteri instituto aggrederentur. Hac inquam mora tironum mentibus obiecta, longe diversam a quavis disciplina licentiam profiteri ausi sunt vecordes quidam fabularum milesii generis fictores; qui dum praedicant

populari se uti stilo, dum popularia commenta (seu scelera ut verius dicam) e latebris eruunt, omnes thesauros non ex avitis opibus atque hac paene infinita varietate, sed stipe ab exteris libris mendicata facilius comparari docent. Primo quidem huiusmodi nubeculae delatae ab Alpibus nostros ante oculos provolare coeperunt, ac nescio quid peregrinum instrepere, deinde vero quot fluctus in rebus civilibus, quot in bonis artibus procellas excitaverint nemo est qui non sentiat, nemo qui non indignetur hodiernam stultorum arrogantiam, ingenua documenta pro nihilo habita, adolescentiam, cuius maxima commendatio posita est in verecundia, elata fronte incedentem, venena librorum domi ab ipsis pueritiae manibus tractata, in scena cum plausu accepta, degustata, veluti nectar divinum sapiant. Taceo de publicis aerumnis; unum dico, nihil aliud esse causae cur longe a vera cogitandi scribendique methodo nostra aetas aberret, nisi novam superbiam, laboriosae doctrinae fastidia, ac praesertim latinae philologiae oblivionem atque contemptum. Haec illa est labes quae vel coniunctis omnium nostrum viribus in abditissimos hyperboreos pulsa decedet, vel certe germina ipsa pulcri honestique corrumpet.

Inest profecto inest huic urbi pulcherrimae dos quaedam peculiaris, non ab incertis fortunae vicibus, aut communi mortalium conditione, sed caelestis Providentiae beneficio commissa; quam praeteritarum laudum memoria exornat, amplificat humanarum divinarumque rerum potestas, illustrant artes, scientia antiquitatis, omnigena eruditionis

materies propalam effusa monumentis, simulacris, lapidibus inscriptis, ipsa denique tellus incredibilem doctrinae segetem omni ex parte progignens. Nonne cum Romani Fori vestigia, ac tramites ingenti ruina sepultos admiramur, ipsa tua Marce Tulli vox e Rostris personare videtur? Quid si vaticanas aedes, Musea collustres? Non marmora nominibus titulisque in vasto ambulacro discretis oberrare oculo, sed antiquas hominum facies intueri credas; extare milites equo publico donatos, magistratus testimonio provinciarum insignes, imperatores, consules, cives bene de patria meritos; pene ipsos attolli fasces atque insignia dignitatum. Tum vero quae lacrymae parentum in comploranndis liberis! quae pietas in fratres! quo desiderio defleri coniuges! laudari cum fide exactos annos! puerorum ac virginum tumulis inspergi flores! denique in tanta multitudine tamque diversis animorum motibus atria porticus, conclavia murmure ac vociferatione compleri!

Pontificum Bibliothecam in fronte habes, claro situ atque excelso, sapientum imaginibus mirifice ornatam: ubi si parum consederis, quid tibi primum aperiemus? membranasne vario colorum artificio distinctas? aureos characteres? historias minio pictas? an potius squalore obscuros atque adesos codices, quorum ipse color vetustatem indicat? En grande aetatis nostrae repertum, philosophorum oratorumque principis Ciceronis Reipublicae fragmenta, quae diu tenebris obsita vir doctissimus et acerrimus antiquitatum investigator Maius cum summa gratulatione omnium gentium summisque

honoribus in lucem explicuit. (1) Virgilius prae ceteris eminet; in proximiore loco Terentius. Agnosce veterum manus, nomina frontibus inscripta Politiani ac Bembi, qui paginas immortales apud se fuisse gloriantur. Vos mihi vos Italorum clarissimi testes atque adsertores eritis quo in pretio vestris temporibus latina exemplaria haberentur sive in Regia illa Medicea quae byzantinis libris foedissimae barbarorum rapinae obnoxiis asylo ac perfugio fuit, sive in hoc universi orbis principatu, domi, ruri, inter delicias nobilissimarum aedium vel familiares amicorum invitationes. Vestrae tunc laudes erant non iuvenilis tantum prolusio sed omnis aetas in Augustalis aevi scriptoribus aemulandis occupata, multiplex elegantiarum viriditas ad vernaculum solum translata atque insita. Vobis gratia auctoritate pollentibus decorum fuit, qua gravissimis allocutionibus, qua iocis ac lepore attico distineri principum aures, eminere in publicis negotiis verbo aut scripto gerendis speciem romanae maiestatis atque facundiae, florere artes non exangues ac ieiunas sed plenas virium, cum ex intima eruditione ad singula quaeque seu penicillo seu scalpro repraesentanda impellerentur. Sentio me natalis loci dulcedine prolixius rapi auditores quam vestra humanitas aut angustiae temporis ferant. Non tamen a conspectu carissimae domus, earumque rerum memoria quae commune hoc lumen caelumque intuenti mihi flammam poeseos iniecere,

(1) Vide fragmentum Virgilii Georgicon, (praeter Aeneida) quo nil pulcrius aut antiquius.

sine incredibili moerore divellor. Scimus eundem seculi sexti decimi beatissimum auspicem Leonem in Aula Pontificali eximiis graecorum romanorumque artificum operibus, in hoc vero Athenaeo doctrinis optimis domicilia constituisse: pro quibus meritis fundatori munifico exequias cum laudatione quotannis maiores nostri decrevere. Is mihi hodierna die, hac pompa nobis ad recte religioseque docendum iureiurando obstrictis versari ante oculos cum illa doctissimorum hominum corona videtur quam in gravioribus consultis ac legibus ordinandis adiutricem habuit; coniunctionem hanc nostram fronte nutuque comprobare, dein silentia rumpere his vocibus. Satis feliciter in Religionis sacrario statum fortunasque studiorum collocavimus, cum vetus docendi ratio ad vos quam longissime delata pervenerit, novisque successoris nostri decretis aucta florescat. In praesens viri optimi quid sedulitas vestra postulet considerate. Nam quantum curae ac laboris, dum inclusi corporibus teneremur, ad puriora latinitatis semina perpetuo cum fructu excolenda contulerimus, hi parietes hae porticus clara voce testantur. Atque eo seculo quod ab Iulio Secundo inchoatum accepimus nulla urbs, nullum oppidum huiusmodi eruditione carebat: quo fortasse minus erat timendum ne consensus ille voluntatum praecipiti lapsu dissolveretur. Nunc vero in re tanta quae mutatio, quae vicissitudines tam subito irrepserunt? Cur quod in laude ac deliciis erat ad neglectum et desuetudinem recidit? Aequone animo feremus intra Italiae fines latinae linguae decus quotidie

imminui, robur debilitari? iuvenum mentes necessario hoc lumine destitutas verti ad inanes umbras, atque ineptiarum luto demergi? Enimvero si mihi, si huic sodalium meorum concilio creditis, tanta diutius iactura toleranda non erit, imo quo licentius propagatur, eo fortius non ab hoc solum limine, sed ab omni civitate, ab omni romana ditione propulsanda. Hic hic exempla detis oportet, in quibus etiam inviti defixos oculos habeant. Apud Germanos consuetudo inolevit ut iuventus ingenio praestantior graecas tragoedias ac iuxta latinas fabulas in scena recitet. Fit undique ab eruditis concursus: Aeschyli terrores, Euripidis lacrymas sequuntur Plautini sales ac puritas Terentiani sermonis: vigent plausus, admiratio, palestrae literariae certamina, in quibus ea gens aut excellere aut emori propositum habet. Romam vero, terrarum caput, quis unquam alienis indigere exemplis merito affirmabit? Annales, monumenta, fasti sole clarius demonstrant, quidquid ubique benevertit incremento doctrinae iam hic antea exploratum a nobis vulgatumque extitisse.

Non enim illae aedes antiquitus extructae atque ornatae, illa rura quae nunc aut solitudini, aut equitationibus, choreis, ebrietati relicta videtis, ad haec ludibria vacabant, sed Musarum otia commoditatibus ac delectatione fovebant. In iis areis, in iis fontium silvarumque recessibus omnes literaturae nervi velut in campo exercebantur. Erit igitur providentiae vestrae laureas latinae gymnadis atque honestissima praemiorum incitamenta ad Lycei nostri splendorem opportunius revocare,

ne patrii sermonis incunabula post barbarorum illuviem tot impensis totque laboribus restituta per nos atque firmata, iusta cum vituperatione sapientum in ipsis nepotum manibus evertantur.

Haec verba sanctissimi Pontificis nolim poetico more conficta arbitremini. Nondum enim bonorum omnium fletus ac desideria quievere, fuisse hic non ita pridem egregios iuvenes qui latinam Academiam in Othobonianis hortis iam ante fundatam summa utilitate, summa spe ac voluptate senum coniunctissime celebrarent; eiusque coetus dignitatem, ad quam tuendam atque amplificandam cum privata studia tum publicas opes conferri aequum erat, sine tali praesidio, sine calcaribus, penitus excidisse hoc temporis cum apud Rhenum theatra ipsa abundare huiusmodi exercitationibus soleant. Quae conversio fortunae si longe aliena a virtute maiorum, si deploranda parentibus, quos liberorum caritas sollicitos tenet, si pro deminutione ceterarum laudum est habenda, signum bene moratae iuventuti ad pristinum iter ineundum attolite. Utram denique partem tot calamitatibus speramus auxilio futuram? eorum quos passim volitare cum ingenti spiritu videmus, polliceri grandia huic aetati, famae libertatisque se dicere arbitros? At nihil unquam boni a turbulentis ingeniis oriri solet, iique maxime sunt timendi hostes qui nova quotidie somnia, novos de veterum ignorantia, ut aiunt, triumphos cogitant. An paucorum, in quibus modestia vitae cum perspicuitate mentis ac nitore doctrinae praefulget? His certe defensoribus utemur cum illud Theocriti diligenti cura perpende-

mus, iacere Gratias loco humili atque obscuro, nisi forte puellae inopes liberali hospitio recreatae in publicam lucem admirationemque deducantur.

Quod igitur unum superest, quodque omnibus votis Religio, literae, iura civitatis poscunt, vos ad huius praeclarissimi consilii fidem ac tutelam vindicabitis. Tunc demum illa auctoritas qua semper bonis artibus moderandis praecipiendisque intentos animos adhibere consuevistis, amplioribus cumulata ornamentis exemplo erit universis, pollere hanc urbem optimarum institutionum genere antiquo ac stabili, cuius robore innixa nihil exteris gentibus invideat, omnia imitanda proponat.

DESCRIPTIO VETERIS SAMNII

—

SERMO

Dum Latii me rura tenent, nemorumque salubres
Demulcent aurae tacitas Anienis ad undas,
Frigidus autumnum dulcem otior, aut vagor hospes
Qua iubet ire animus: comites per singula Musae
Adveniunt, scribuntque brevi memoranda libello.
Forte inter iuvenes cum pauca iocarer amicos
Garrula producens hilari convivia versu,
Flaminius possessor agri samnitis, et idem
Doctus et urbanis imbutus moribus, aurem
Vellere mî coepit, risum tollente corona:
Heus bone, namque tuos semper laudare Quirites,
Semper delicias Romae, monumentaque gaudes
Heroum canere, et Tiberim quae propter amoenum
Vaticana domus claro se vertice tollit,
Haec etiam regio, vastis licet horrida saxis,
Nomina adhuc veterum non aspernanda locorum
Servat, et insignis populi vestigia: Ni te
Haec mecum pigeat superare cacumina (montem
Cautibus abruptis longe ostendebat opaca

Vndique conseptum nebula) mirabere forsan
Romulei quibus invideant spectacula colles.
Mene, inquam, ludis? — Sic tu florentia Pindi
Culmina possideas: cyathum depone, viamque
Arripe; nil dignum fama sectantur inertes.
Haec meus ille, praeitque gradu festinus. Abibat
Sera dies; raptim venatica sumimus arma:
Turba canum longe practervolat. Ecce profundas
Ingredimur silvas longo declivia gyro
Carpentes: caeci anfractus et saxa minantur
Praecipiti revoluta iugo. Sub vesperis horam
Venimus oppidulum, cuius magalia raro
Cognita vix fumo et pecorum balatibus, alte
Montis inaccessi fastigia prima coronant:
Pronus apex nigra circumdatus ilice pendet
Rustica tecta super, boreaeque nivalis ad ictus
Horrendum sonat, et nutantibus ingruit umbris.
Hic ego, ceu pallet viso lemuris puer ore,
Suspenso molem gressu speculabar, et ingens
Captabam trepidus murmur: sed rorida caelo
Prodierat clarum diffundens luna nitorem.
Angulus agrestis tugurî parca dape fessos
Et leni iuvit somno: fugientibus astris
Surgimus, et roseo cum lumine solis apertum
Prospectum petimus. Digito prior indice monstrans
Flaminius loca; non adeo quam cernimus, inquit,
Naturae faciem mutavit longa vetustas
Vt patrias laudes desperet cura nepotum
Eruere ex latebris. Si docta volumina Livî
Digna fide memorant, stetit hic fortissima quondam
Attollens bello celebres Aquilonia turres,
Samnitum gentis caput: hic feralibus aris

Terribiles Diti se devovere cohortes
Contra romanum nomen: praedura iuventus
Arva Palumbini et gelidae dumeta Volanae
Et glebas Cominî crebris findebat aratris.
Nec procul aëria candebat ab arce Trifernum.
Centum urbes populorum animis ac divite terra
Sub iuga finitimos audebant mittere, et ipsos
Aeneadas. Viden obscura convalle iacentes
Silvarum tractus, et saxa imposta superne
Vertice nubifero? (Caudinas noscere furcas
Parfacile est: gemini saltus latera hispida iungunt
Rupe sub angusta; medium tenet herbida campi
Planities; salebrae circum scopulique recurvi:
Serpit in ambiguum trames, quo consul uterque
Clausus ab insidiis nudo cum milite fasces
Exuit accipiens victoris iussa superbi.)
Quid frontem obstringis? Certamina dura vicissim
Exercere fuit virtus: meliore Quirinus
Imperium obtinuit fato: sed proterit aetas
Splendida facta virûm, et sternit mortalia regna.
Ecce Ferentinum patrio de culmine surgit,
Quamquam impar veteri, matutinaque rubentes
Vestit luce domos: contra Murgantia nusquam
Apparet, caecis sub humo congesta cavernis;
Moenia Romuleae nusquam: vineta oleaeque
Prisca tegunt castella; et ruptis fossor in arvis
Ingentes tumulos abrosaque detegit aera;
Forsitan et putribus Deciorum condita glebis
Ossa per aggestos audet dispergere sulcos.

Talia dum loquitur, meque huc obvertere et illuc
Saepe oculos iubet, argutis latratibus omne

Instrepuit nemus, et saltu per devia cervus
Effugit; insequimur; raptat me concitus ardor.
Diversi erramus qua mons asperrimus: aegre
Lubrica dum supero, dum nitor crure manuque
Grande supercilium et lapidosos vincere calles,
Liberior tandem patuit via. Tum nova rerum
Emicuit species: nam late purpureum sol
Lustrabat clivum surgenti mitior aura:
Largus ager; rivis et dulci uligine prata
Florebant circum innumeris depasta iuvencis.
Provehor in culmen; nec iam amplius ulla cupido est
Vestigare feram, liquidi sed carpere visum
Aetheris, inque omnes obiter describere partes
Curvantem longis se flexibus Apenninum.
Namque hinc belligeros Marsos et saxa videbam
Hernica, inaequali nec non regione Sabinos;
Hinc procurrebat frondenti Appulia dorso,
Notaque Gargani querceta, et dictus Horatî
Carminibus Vultur: Lucana ac Bruttia tellus
Ibat in ancipites vergens sinuosa recessus.
Caerula sed contra fulgebat linea thusci
Aequoris; et iuxta tiberinos humida colles
Nubila inumbrabant austro collecta maligno.
Quos ubi prospexi, et dulci mihi pectus amore
Improvisa loci tetigit natalis imago;
Maia nate, levi qui transilis aëra cursu,
Clamavi supplex, vatum si cura piorum
Vlla tibi, nunc dexter ades pernicibus alis,
Arreptumque palatino me culmine sistas.
Risit vota pater Cyllenius, ac mihi virga
Stravit iter: placide lapsus de monte redibam
Sospes in occursum longe revocantis amici.

B. VIRGINI

IMMACVLATAE AB ORIGINE

—

EPIGRAMMA

Pura nites Virgo, qualis sine labe Tonanti
  Ridebas dio fulgida Sole caput,
Clausa sub antiqua cum nocte Aurora lateret,
  Nec iubar aetherium sidera mota darent.
At malus ille Erebi serpens, cui figere plantis
  Haud licuit morsu nigra venena tuis,
Ecce iterum stygia sparsit caligine terras;
  Funereamque luem, saevaque bella ciet.
Diva potens, tu solve umbras; tu redde salutem;
  Tu preme virgineo tela cruenta pede.

EPICEDION

IN MORTE CHRISTI

—

Magdalis, et fidae tacita sub nocte sorores
Divinum imbuerant fragranti corpus amomo.
Cui postquam gelido posita est in marmore cervix,
Linaque sanguineos texerunt candida vultus,
Tristia ducebant longo suspiria fletu,
Crinibus incomptis, tumulo caput acclinantes.

Siccine quae miseram lactabant unica matrem
Gaudia deliciaeque, inopis solamina vitae,
Perdita funereas tecum cecidere sub umbras?
Illa tuo sese vix tandem ex ore resolvit
Marmoreae similis, vix sustinet halitus aegram.
Infelix! non has lacrymas non talia nuper
Vulnera sperasti, cum raptas undique palmas
Sparsimus et virides urbis per compita frondes,
Voce Deum fassae: tu nimbo septa rosarum
Dilectam effigiem et caelestia lumina euntis
Prospiciens, tacitis ardebas tota medullis:
Qui nunc trajectus ferro, crinemque revinctus
Vepribus insertis, regalis more coronae,

Proh scelus! exanimis trunco demissus ab alto est,
Ceu flos quem rapida disperdit grandine turbo.
Saltem aliqua immemores pietas tetigisset amicos!
Ecce, metu quales fugiunt per devia cervi,
Huc illuc trepidi rerum vestigia portant
In latebras: super unus hic est, quem paupere cymba
Aequoreos circum scopulos et stagna vagantem
Retibus eduxit patriis, sanctoque locavit
In gremio, quantum nec virginis ire puellae
Gaudet in amplexum sua nutrix. Hoc tibi mater
Dulce caput natus morienti voce reliquit:
Vnicum habe primi qui partem reddat amoris.
Heu! male, dum gliscens animo vetus insidet ignis,
Fingere consilium miserae conamur amantes.
Nec quidquam pulcrumve oculis vel amabile, postquam
Deplorata semel visus effugit imago.

Audin? tela sonant; fremitus crebrescit equorum:
En adsunt; tremulis collucet semita flammis.
An gnato ut geminent maternum funus, et una
Sternamur, raptae ceu vulturis ungue columbae?
O qui fronde nova semper vestiris olivae
Mons sacer! O florens praecelso vertice Thabor!
Altaque Iordanis palmeta tegentia ripas!
Nunquam eheu vestram posthac veniemus ad umbram
Divinum iuvenem cara cum matre secutae?
Non dabitur sancto dulces e pectore voces
Accipere, aut myrrham niveis effundere plantis?
Nuncius hinc iam aliquis Solymae digressus ab urbe
Virginibus ferat haec, roseo quae vere nitentes
Nazaridum colles habitant, Galilaeaque rura,
Et Chanaam, rarisque humilem Bethsaida tectis:

Flevimus heu miserae crudeli morte peremptum
Flevimus unigenam Iesseidos heroinae!

Talibus obscuras rumpebant questibus auras:
Cum subito adveniens denso ruit agmine miles,
Fumantesque manu quatiens ad marmora taedas
Disiecit longe turbam; dein limine custos
Sedit in adverso, et tumulum circumstetit armis.

IVDAS ISCARIOTES.

—

CARMEN

Postquam concilio procerum despectus abivit
Proditor, et solis posuit vestigia campis,
Multa memor secum tristi sub pectore volvens
Vrbem inspectabat longe, penitusque fovebat
Vocibus his trepida conceptum mente furorem.

Ergo illum morti scelerata per oscula demens
Obieci pretio? nec se venientibus armis
Eripuit, fuditve hostes, aut vincula solvit?
Cur faciles vultus dextramque tetendit amicam?
Debuerat prohibere manus, capitisque nefandi
Pellere contactum, fictae mendacia linguae,
Vendita amicitiae iura incusare, fidemque
Posthabitam argento, et complexus fraude petitos
An pietas subit ulla mei, nec funditus omnis
Cessit amor? Memini quam se daret ante benignum.
Par erat hospitium nobis, communis egestas:
At mihi subsidium vitae quandoque licebat
Carpere; nec deerat furtivi copia nummi,

Sola ministerii quae taedia longa levaret.
Infelix! non haec sceleris sunt praemia, non haec
Blanda tibi nequidquam animo solamina fingas.
Nescis, heu, nescis ut quondam perfidus ille
Qui prior ante aras fraterno sanguine telum
Sparsit, et horrenda tremefactus caede refugit,
Orbe vagus toto moestis habitaverit antris,
Ipsa in fronte Dei non exorabilis iram
Nigraque fulmineae portans vestigia flammae?
Ipsum etiam telo perhibent cecidisse nepotis.
I, fuge conspectus hominum, fuge lumina matris,
Quae natum exanimem de te miseranda reposcet:
Vel pete getulas deserta per avia tigres,
Vel committe mari vitam et disperge per undas.

Talia fundebat gemitu, lucosque silentes
Horridaque altorum nemorum dumeta subibat:
Qualis ab alpinis hiberna nocte latebris
Proripuit sese nebulas lupus inter opacas;
Ille diu tacitis occultus vepribus errat,
Vestigatque greges, et notum captat odorem:
Tum, si forte ignem sparsis ardere favillis
Pastorum vidit, coniuratique repente
Latravere canes, submisso corpore terram
Pressit, et arrecta sonitum procul accipit aure.
Hic aliud misero longe crudelius omen
Spes animi rupit dubias, mentemque labantem
Accendit furiis diraeque cupidine mortis.
Namque iter accelerans obscuri tramitis orbes
Dum sequitur, vento similis volucrive sagittae,
Vel fortuna tulit, vel saeva coegit Erinnys
Vipereum quatiens post impia terga flagellum,

Nescius incertusque viae iuga proxima montis
Attigerat, cui silva facit pulcherrima nomen
Germine luxurians semper frondentis olivae.
Iamque dies tacitam pellebat ab aethere lunam;
Turbida sed caeli facies et nubilus aer
Certa dabant terris venturae signa procellae,
Et nemora insuetum miscebant devia murmur.
Restitit adverso deprensus luminis ortu;
Agnovitque locum quo venerat ante per umbram
Vincla inimica ferens et militis arma profani.
Purpureus viridi sanguis stillabat in herba,
Qui modo rore levi collapsam in pulvere frontem
Aetheriam sanctasque comas et languida tinxit
Ora, Patris cari caelo quaerentia vultus.
Nec procul hinc iactaeque faces et sparsa recentis
Signa fugae, male quam timidi rapuere sodales,
Telaque multa solo passim gladiique micabant.
Vt vero ante oculos inopina refulsit imago,
Saxeus extemplo caeca formidine torpor
Corripuit gelidos artus; riguere capilli;
Non aliter quam si ruptae telluris hiatu
Tartareis pallentem umbris Acheronta videret
Murmure misceri, et torvos emittere manes:
Mox vultus alio vertit, gressumque retorsit,
Praecipitem sese penitus convallibus imis
Per salebras per lustra ferens silvamque profundam,
Labitur obscurus rauco qua gurgite Cedron.

Quercus erat, ventis et crebro fulminis ictu
Parte revulsa sui, medioque nigerrima trunco;
Quam neque vere novo frondes nec laeta volucrum
Agmina complebant; sed nuncia funeris ales

Infelix bubo, et tristes cum vulture parrae
Servabant positos latebroso in vertice nidos:
Ipsa viae medium pendentibus ardua ramis
Desuper incumbens vasta radice tenebat.
Incidit huic, pressitque pedes, et lumine torvo
Fixus in horrenda stetit arbore: tum subito mens
Consilia in diversa ruit; ceu turbidus altis
Fluminibus vortex cum saxa frementia circum
Volvit, et attonitos celeri rapit impete nautas.
Haec, ait, haec tandem subito me fine resolvet:
Quandoquidem effugii nusquam via; semper acerbus
Hostis adest tergo; voxque importuna per aures
Singultus gemitumque iterat morientis amici.
Me poenae ultrices sub tartara nigra sequantur,
Dum tristes auras atque illaetabile lumen
Ex oculis aeterna meis nox auferat. Ibo
Spiritus infelix, caelo terrisque relictis,
Perque domos Erebi mersus caligine condar.

Dixerat; ingenti cum protinus omne fragore
Intremuit nemus, et tenebris exhorruit atris.
At variae umbrarum facies, cocytia monstra,
Sedibus exierant imis lucoque volabant.
Ille manu trepida nectens in vincula funem
Iactavit ramo; tum scabri robora trunci
Amplexus propero adscensu et pernicibus alis
Inseruit laqueo guttur, dein lenta remisit
Brachia, et elisa correptus fauce pependit.
Immanem veluti si forte bipennibus ursam
Perculit aëria venator ab ilice summos
Stringentem pedibus ramos morsusque parantem;
Dentibus illa ferox et toto corpore pugnat

Cortice in arboreo, donec labefacta resolvit
Membra gelu, retroque cadens cervice supina
Corruit, et multam traxit cum pondere quercum.

Relliquias turpes exsecratumque cadaver
Reppulit a gremio tellus: non ulla volantum
Visceribus foedis tristique assueta rapinae
Insedit capiti, vel sanguine polluit ungues.
Tantum deformes artus squalentiaque ossa
Aëra per medium lapidosa grandine mixtus
Imber et assiduo pulsabant turbine venti.

PHILIPPO SCHIASSIO

—

EPIGRAMMA

I.

O latiae rarum decus et flos candide linguae,
Tune mihi iucundo in gremio Charitum
Suades amplexuque tuo promittis amorem?
Dî bene! Ut ex animo contigit ista fides!
Nunc nostrae color est Veneri, (1) nunc avolat a me
Qui steterat penita fixus in aure culex.
Nam Bavii, pecus indocile invisumque Minervae,
Te metuunt, nocturnum ut pueri lemurem;
At quibus ingenium est, qui mel hausere Catulli
Omnes te dicunt nomine Quintilium.
Venisti pius et spe maior. Quae mihi profers
Munera! felsineo munera digno solo.
Pro quibus exiguum hoc dircaeae mittimus uvae
Doliolum, agrestes qualia vina bibunt.
Rura sequor; Musas inter felicia rura
Me vaticanae progenuere domus;

(1) Poemation est de quo Schiassius benigne sensit.

Florida dehinc aetas in montibus acta sabinis;
  Nunc maris adriaci litora sola placent.
Vita mihi simplex, simplex dilecta poesis,
  Ceu rosa virgineae iuncta sine arte comae.
Tu vero sapiens iuvenis moderator amici
  Culturam et mores perge docere tuos.
Sic grandem Alcaeus cecinit qui carmine Martem
  Garribat caro dulcia verba Lyco.

PALLAS AMICA BACCHO

—

II.

Vinea mî, sacro Pallas quam texit olivo,
  Sospes ab infesta grandine floret adhuc;
Quamvis et iaceant aliae rubigine vites,
  Et malus assiduo Iuppiter imbre tonet.
Munere pro tali felicem stratus ad umbram
  Palladii nemoris pocula larga bibam.
Fer puer antiquum caelo cratera Myronis.
  Evohe Bacche! calix aureus ille mihi est,
Ludit ubi parvumque super delphina Cupido
  Torquet in aequoreos spicula saeva deos.

DE HISPANICO BELLO

CONTRA MAVROS

—

CARMEN (1)

Ecce iterum lento surgens Hispania somno
Excitat indomitas ad bella antiqua phalanges.
Non ut civiles irae fraternaque rursus
Crudescant odia, atque exundet sanguine Iberus.
Sed maurae ut gentes, et inhospita litora discant
Vltricem Europam Lybiae non ferre tyrannos
Ruptores fidei, et dextra sua iura tueri.

Pandite fulmineae classes victricia vela;
Herculeum superate fretum: vos ardua Calpe
Barbarico assultu et crebris foedata ruinis,
Vos medio disiuncta mari castella salutant.
Haec loca romanas aquilas videre peremptos
Vlcisci fratres, et nectere vincla Iugurthae: (2)
Haec eadem patriae pro libertate ferocem
Scipiadem, et fortes Pompeî occumbere amicos.
Terra sinu vasto sub montibus Atlantaeis
Non placidos portus, non sanctis legibus urbes
Continet. Effraeni nomades nunc aspera saxa

(1) Scriptum mense Octobri a. 1859.
(2) Adherbalem et Hiempsalem.

Collustrant, nunc desertis latuere cavernis.
Tum, si qua infelix ventorum a turbine puppis
Effugium explorat, subito de rupibus altis
Praecipitant, stringunt remos, atque alite cursu
Circumeunt praedam: fert naufraga corpora fluctus:
Infames oras prospectat ab aequore nauta
Territus, et longe caecas dat vela per undas.

At non hispani, liberrima pectora, turmas
Foedifragas passi volitare impune per omnem
Oceanum, ac prope vicinas incurrere Gades:
Ingentes turres, ingentia claustra superne
Imposuere, ipsi Alcidae miranda. Fremebat
Magnanimus de monte leo, piratica tela (1)
Rumpens dente fero. Victoribus ille britannis
Invitus cessit, telluris parte relicta;
Partem fortis adhuc lybico defendit ab hoste.
Quin etiam veteris regni memor altius audet
Tollere rugitum, quo personat arduus Atlas,
Nec soli pallent numidae, getulaque pubes,
Tota sed horrescit venturas Africa sortes.
Quare agite egregii iuvenes, revocate parentum
Virtutem. Iam tempus adest quassare profani
Maumethis sedes, et sceptrum inamabile ponti
Mergere sub latebris, aut vastis condere arenis.

Tuque potens regina, gravem florentibus annis (2)
Quae mentem, atque animos ad grandia facta viriles
Ostendis, sparsam si pulvere non decet arma

(1) Leo Castellae.

(2) Isabella secunda id temporis Hispaniae Regina, nunc exul, supremum ducem O Donnelum huic bello praefecerat.

Stringere, foemineae dextrae si pugna negatur,
Fide tuis. Satis est in saeva pericula Martis
Invictum legisse ducem. Non mille carinae,
Sed virtus pretium belli. Cum prisca vigeret
Gloria militiae, longe fortissimus heros,
Quem vos hispanum merito dixistis Achillem,
Sternebat saeva Rodericus cuspide mauros.
Quinque simul reges, torrentum more, vetustae
Bilbilis urgebant portas: interritus ille,
Paucorum comitante globo, perculsa gigantum
Corpora, marmaricos arcus, versasque pharetras
Calcabat victor: dein moenia celsa Toleti
Expugnans dominam rapuit praedonibus urbem.
Terga dabat fugiens mixto gens nigra tumultu:
Ceu, cum montivagus lucos venator opacos
Ingreditur, pavidi huc illuc per lubrica cervi
Desiliunt, vallemque procul glomerantur ad imam.
Barbarie pulsa frangebant horrida cives
Vincula; sole novo splendebat purior aether;
Pulcraque Chimene felicem Boetis ad undam
Coniugis optati dulces cantabat amores.

FRANCISCO GANDVLPHO

CORNETI ET CENTVMCELLARVM PONTIFICI

—

Tarquiniae tellus etruscis clara sepulcris,
Asper ubi Minio sylvosis flexibus errat,
Nos Gandulphe tenet constanti foedere iunctos
Dulcis amicitiae, quae coepta virentibus annis
Firmior usque viget iam canescente capillo.
Splendida te virtus, gravibusque exercita curis
Ad magnos templi sapientia tollit honores;
Me beat exiguum libertas aurea vatum.
Dissimiles vitae sortes amor aequat et usus.
Fallimus aestatem per saxa antiqua vagantes;
Miramur pictis regum monumenta figuris,
Aut rapimur celeri vicina sub oppida curru.
Laeta dies sine nube cadit, noctemque serenam
Coena hilarat non spumanti producta falerno,
Sed vario sermone. Iocamur versibus ambo;
Ridemus cives quos diro armata flagello
Ambitio torquet, miseros ridemus avaros.
Luna super nigras oriens nitidissima turres
Disiectos populos in pulvere monstrat, et umbram
Mortalis fastus. Pariter sic ducimus horas
Felices prisco sapientum more. Quid ultra

Sit mihi sperandum? Quid fortunatius optem?
En meus hic prodit pudibunda fronte libellus:
Accipe: tu censor, tu iudex candidus esto.
Latrantes cerno Bavios, qui dente maligno
Carpere scripta solent. Fidum tutamen amico
Porrige; da crinem viridanti cingere lauro,
Si tantum pretii nostri meruere labores.


PELAGIO ANTONIO LAVASTIDAE

PONTIFICI VRBIS MEXICI

—

Te fera bellorum rabies, crudele tyranni
Arbitrium, et praeceps in mutua funera vulgus
Pastorem egregium dilecto arcebat ovili,
Arcebat dulci patria rebusque gerendis,
Lavastida. Tenax iusti servator, et alta
Mente vigens fraudes ac regna petita cruentis
Caedibus et vanas fortunae despicis iras;
Gaudia doctrinae, sapientum praemia quaeris.
Sume novos animos: Petri tibi limina pandunt
Concilium augustum pro Relligionis honore,
Magnanimi pro sede Pii, qui regia iura,
Civile imperium libertatemque tuetur.
Insere te Patribus. Facundae gratia linguae
Intemerata fides et strenua pectora nomen
Eximium pepercre tibi. Felicior ibis
Nunc ad romani decora expectata triumphi.
Quod si forte meis advertere cantibus aurem
Non piget, ac summo paullum descendere Olympo,
Ecce deae faciles adsunt. Prope Tibridis undam
In nemorum secreta veni, neu respue Musas
Heroum lauros et munera sacra ferentes.

Liber ego vates ausus contemnere turbam
Non sequor indecores venali carmine nugas,
Somniaque errorum, gaudet queis degener aetas.
Virgilii iubet umbra mei per florida rura
Ausoniam pulsare lyram, celebrare parentum
Exempla, et cultas annis melioribus artes,
Pingere turrito fulgentem vertice Romam.



INDEX RERVM



INSCRIPTIONES

DIVERSA

—





